Th. 3442

Theol. 342

AVGVSTINI TRIVMPHI ANCONIT.

ORD. FRATRVM EREM.
SANCTI AVGVSTINI

In Orationem Dominicam Tractatus.

A M. ANGELO ROCCA è tenebris eruti, & illustratus.

Bibliot. Aug. Gand. 1672

Ad Perillustrem D. Ioan. Bapt. Triumphum Anconit.

ROMAE, Typis Vincentij Accolti 1587.

Aug. Gand

AVGVSTINI
TRIVMPHI

Theol. 342

ADMODVM ILLVSTRI DOMINO IOANNI BAPT. TRIVMPHO ANCONITANO

Frater Angelus Rocca à Camerino S. P. D.

EXplanationem (*Triumphe ornatissime*) *in Orationem Dominicã Augustini Triumphi, Gentilis tui, nostræq; Augustinianæ Religionis alumni, qui nihil humile, nihil vulgare, sed docta omnia, & præclara quidẽ, Triumphoq;, quin seipso dignissima edere solitus erat, ego nunc primum in lucem editurus, ac diuulgaturus, tibi multis nominibus dicandam esse censui. Id quod à me perquàm libenter factum est. Rem profectò vnico libello comprehensam sum aggressus; sed tamen arduam ob miram exemplariorum paucitatem, Librariorumq; incuriam, vel potius insciti am: Et quoad potui, confusis ordinem, obscuris lumen, dubijs certam notitiam reddere, Tractatumq; ipsum summis, citationibus, & scholijs, atque Indice exornare adlaborauí. Cetera illa Opuscula, quæ desideras, expoliui, &*

concinnaui, Deoq; fauente, quàmprimum typis mandanda curabo. Tu interim munusculum hoc alacri animo suscipias, meq; tui, tuaq; familiæ amantissimum fac memoria teneas. Vale. Romæ in Diui Augustini Aedibus, Idibus Maij M.D.LXXXVII.

INDEX

INDEX

INSIGNIARVM RERVM, QVAE IN HOC TRACTATV LEGVNTVR.

A

AGios, id est sine terra pagina 18
Amen quid. 56
Angeli cur sancti dicantur. 18
Annuli exemplum. 21

B

BEati cur sancti dicantur. 18
Beatitudo triplex. 14
Beatitudini, & saluti acquirendæ necessaria. 4
Benedicti historia de merula. 54

C

CHristus petitione quinta non nisi pro nobis indiguit. 44
Christi regnum 20. 21. Christus nunc in vniuerso orbe regnat dominio iurisditionis: post finale iudicium regnabit dominio subiectionis. 23. Quot modis regnabit super bonos, & malos. 24
Cyprianus Magus, postea Martyr, eiusq; conuersio vnde ortum habuerit. 54

D

DAmnatio alicui nũ reueletur. 13 Damnatio Fratris Heliæ socij S. Francisci, & saluatio. 33
Debitores Dei quomodo constituantur. 43. 44
Debitum quidnam sit. 43
Defectus humani quatuor. 5
Denarius fideiussor. 40
Dei cognitio, qualis omnibus inserta. pag. 15
Dei cognitio triplex. ibid.
Deum diuersi diuersimodè cognouerunt. 15. 16
Deus non nisi à purgatissimis mentibus cernitur. 8
Deus quomodo sit in Cœlis, in Sanctis, & in Angelis. 12
Deus cum sit vbique, cur præcipuè in Cœlo esse dicatur. 14
Deus cur sanctus dicatur. 18
Diaboli tentatio esset, etiamsi annihilatus esset, vel in inferno relegatus maneret. 45. & quomodo. ibid.
Diabolo quomodo liceat tentare hominem. 51. Diabolus cum Deo quomodo loquatur. 52. Quomodo tentet. ibid. & 53
Diligentibus Deum ipse omnia cooperatur in bonum, etiam peccata: & quo-

quomodo? 49

E

Exemplum de liberalitate Alexandri Magni. 20
Exemplum de annulo. 21

F

Figura metonimiæ. 51
Formalis ratio peccati. 44

G

Gloriosius est tentatum esse, quàm non posse tentari. 51

H

Heliæ Historia. 33
Hodie & quotidie quid. 38
Homo tenetur velle quod Deus vult, etiam pœnam inferni, nõ tamen voluntate naturali. 33. 34
Hominis miseria magna quænam sit. pag. 34

I

Iustinæ & Cypriani historia notatu digna. 54

L

Liberalitatis exemplum de Alexandro Magno. 20
Liberatio à malo quid. 61. A Tyranno rum persecutionibus petenda. 62
Luciæ dictum. 64

M

Malũ omne à peccato nostro est. 57. Error multorum circa hoc dictum. ibid. Priuatiuè opponitur bono: & est ens priuatiuum, non positiuum. ibid. Deus à malo nos semper liberat quatuor modis. 58. A malo culpæ, & pœnæ Deus elicit bonum. 59. A malo citius peccatores, quàm iusti liberantur quandoque, & cur. 59. 60. Mala mors animæ & corporis. 61. Mala mors animæ, non corporis est petenda. Liberari à malo quid. 61
Mala cur plura post Euangelicæ doctrinæ promulgationem. 63
Mala in nobis quatuor. 5
Maria Virgo quinta petitione non indiguit, sed frequenter eam pronunciauit propter humilitatem. 45. Nullum habuit peccatum. non enim mortaliter, nec venialiter peccare potuit. 46

N

Nominis Dei sanctificatio quomodo intelligatur. 15. 16. 18

O

Oratio est petitio decentium à Deo. 14
Oratio Dominica est communis. 12
Orationis Dominicæ proœmium. 9
Orationis Dominicæ institutio. 1
Oratio Dominica cur, & quando instituta. 1
Orationis conditiones. 2
Oratio est petitio decentium à Deo. 2
Oratio Dominica, in quibus omnes alias orationes antecellat. 2
Oratio Dominica Deo amica & familiarissima. 3
Orandum esse semper quomodo intelligatur. 3
Oratio Dominica cur breuissima. 4
Oratione Dominica sancti in Cœlo non indigent. 41. Et Christus pro nobis tantum. 44
Orandum non est aliter, nec alia sunt petenda, quàm ea, quæ in oratione Dominica posita sunt: sed verba formalia non sunt necessaria. 5. De hac re opiniones tres. ibid.
Orare pro se, & pro alijs quomodo differant. 12

P

Panis quot modis intelligatur. 35. & 36
Panis nomine quid præsertim intelligatur. ibid. Quomodo quotidie peti possit. 37. Et quomodo in hac petitione peccatum committi queat.
Panis sacramentalis quomodo quotidie peti possit, & sumi queat. 38
Panem sacramentulem spiritualiter sumere quomodo intelligatur. 38
Panis spiritualis quotidie quomodo peti

peti queat,& eius effectus. 39
Patris nomen conuenientius, quàm Dei Dominica in oratione inuocatur. 10
Patris nomẽ in veteri testamento non insinuatur: sed in nouo. 11
Patrem appellare soli Christo licere quomodo intelligatur. 11
Peccatum, quod pœnitentia non delet, suo pondere ad aliud trahit. 19
Peccata quomodo nobis diligentibus Deum ipse cooperetur in bonũ. 49
Peccatum nõ remittitur sine Dei gratia. 43
Peccati ratio formalis. 44.58
Peccata mortalia, & venialia constituunt *debitores Dei*. 43
Pecunia cur sic dicta: & quomodo in oratione peti queat. 39. Et quomodo ad beatitudinem consequẽdam nobis adiumento esse possit. 39. 40. Et quomodo sit fideiussor denarius. pag. 40
Pelagianorum error de gratia Christi. 42
Petitionum septẽ diuisio, ac sufficientia. 4
Petitio { prima. 14, secunda. 19, tertia. 27, quarta. 33, quinta. 42, sexta. 49, septima. 56
Petitio remissionis peccatorum ad omnes pertinet. 42. Hęc à Maria semper Virgine dicebatur propter humilitatem, & pro Ecclesia vniuersa. 47
Petitionibus septem respõdent septẽ dona Spiritus sancti. 6
Petitionibus septem respondent septem beatitudines. 7
Petitio quinta semper impletur, & exauditur, conditionibus præmissis. 46. Hæc prætermitti non debet etiam à non dimittente debitum proximo suo, quia pro Ecclesia vniuersa dicitur. 47. Qui eam prætermittit non caret maxima reprehensione. 48

Q

Quotidianus panis quid. 37
Quotidie quid. 38

R

Ratio formalis peccati. 44.58

S

Sacramentum spiritualiter sumi, quomodo intelligatur. 31
Sacerdotes, & Clerici quotidie sacramentum sumentes non laudantur, nec vituperantur. 38
Saluatio nostra non sine nobis ex Augustino. 30
Saluti necessaria, necnon beatitudini acquirendæ quænam sint. 4
Sanctificatio nominis quomodo intelligatur. 17
Sanctus cur dicatur Deus: cur item Angeli & beati dicantur sancti. 18
Sanctũ aliquid tribus dicitur modis. 18
Sancti cur dicantur Cœli. 13
Sancti in patria oratione Dominica non indigent. 41
Sanctificatio nominis Dei quomodo intelligatur. 15
Sanctuli historia. 62.63

T

Tentare hominẽ quomodo liceat Diabolo. 51. Et cur hoc a Deo permittatur. ibid. Tentatum esse gloriosius est, quàm non posse tentari. ibid.
Tentatio diaboli quomodo semper esset, etiam si anihilatus esset, vel in inferno relegatus maneret. 55
Tentationis tractatus & declaratio. 49. Tentatio Dei, hominis, & diaboli diuersa. 50. 51. Tentatio Dialectica, Moralis, & Theologica. 50.
Tentatio pro dubitatione. ibid.
Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa. 17

V

Victorini dubitatio ad Aug. 62
Voluntas humana quomodo sit post peccatum, & quomodo rectificetur. 33. Eius eligendi modus. 34

AVGVSTINI TRIVMPHI ANCONITANI

ORD. FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI

IN ORATIONEM DOMINICAM TRACTATVS.

De orationis Dominicæ institutione.

Sic orabitis: Pater noster, qui es in cælis. Lucæ 11.

IN hac oratione Christus Dei filius primò *exemplificat formam orãdi in communi, Secundò * exemplificat septem petitiones in hac oratione positas in speciali. al. explicat al. explicas

Ad intelligentiam primæ partis est sciendum, quòd sicut scribitur Lucæ 11. Discipuli Christi videntes eum orare in quodam loco, dixerunt ad eum: *Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos.* Non quidem, vt dicit glos. quòd Discipuli ignorarent multas orationes in veteri testamento scriptas, sed quia nouam conseruationem, & promissionem viderunt in Christo; ideo nouam formam orationis petierunt. Et ne repulsam paterentur de huiusmodi petitione, Ioannem Baptistam in exemplum adducunt. Luc. 11. Glos. super Lucam.

Innuēs autem Saluator eorum petitioni, ait: *Sic vos orabitis*. ideſt, ſecundum formam, quam vobis explicabo inferius.

Sed ad notitiam, & præambulum quoddam eorum, quæ dicenda particulariter ſunt in hac oratione Dominica, mouentur quinque dubitationes.

1. Vtrum hæc oratio Dominica ſit excellentior omni alia.

2. Vtrum in hac oratione contineantur ſolum ſeptem petitiones.

3. Vtrum liceat oranti aliæ petere, quàm ea, quæ ponuntur in hac oratione ſine peccato.

4. Vtrum ſeptem petitionibus, quæ hic ponuntur, correſpondeant ſeptem dona Spiritus ſancti.

5. Vtrum iſtis ſeptem petitionibus correſpondeant ſeptem beatitudines Euangelicæ.

De Orationis conditionibus, quæ ſunt ſecuritas, honeſtas, congruitas, continuitas, & humilitas, quibus oratio Dominica omnes alias orationes antecellit.

Damaſcenus lib. 3. de fide orthod. cap. 24.

AD primam dubitationem dicendum, quòd ſecundum Damaſcenum, Oratio eſt petitio decentium à Deo: quæ primò debet habere à parte eius, à quo petitur, ſecuritatem. Secundò ex parte eius, quod petitur, debet habere honeſtatem: petimus enim aliquando, & non accipimus, eò quod male petimus, vt dicit S. Iacobus in Epiſtola.

Iacob. 4.

Tertiò ex parte modi petendi debet habere ordinis cōgruitatem, dicente Chriſto: Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius: & poſt hæc, omnia, ſcilicet temporalia, adijcientur vobis. Quartò ex parte temporis, quo petitur, oportet

Matth. 6.

Lucæ 18.

habere continuitatem, quia ſcilicet oportet ſemper orare, nunquam deficere. Quinto ex parte orantis, debet habere humilitatem, quia oratio humiliantis ſe, nubes penetrat. Decenter ergo oratio debet habere iſta quinque ſecundum quod S. Cyprianus dicit in ſuo libro, ad hoc, quòd à Deo exaudiatur. Tunc iſto præſuppoſito, dico, quòd hæc Oratio Dominica quantum ad omnia iſta quinque excellit omnes orationes.

Eccl. 35.

S. Cypr. ſer. 6. de orat.

Primo.

Primo in securitate, quia nullus potest dubitare exaudiri, quando orationem, & precem, quam ipse Dei filius docuit, apud Patrem loquitur, qui bene cognoscit verba filij sui, maximè quia filius ipse aduocatus noster, cuius verba loquitur, semper est apud Deum patrem, sedens in dextera eius; Vnde hæc oratio est multum amica; & familiaris Deo patri. Debemus ergo rogare Deum patrem, & verba sui filij ad aures eius porrigere, & cum securitate accedere cum hac oratione ad Thronum misericordiæ eius, vt gratiam consequamur, & misericordiam inueniamus. Ofo Dominicà Deo amica, & familiarissima. Hebr. 4.

Secundo, petitio debet esse honesta. quid enim mali, quid indecentiæ *potest* continere hæc oratio, quæ formata est ab ore eius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi, qui (sicut dicit Apostolus) est Dei virtus, & sapientia. Si.n. fortasse esset à puro homine, quia, vt Christus dicit: Nescimus, quid petamus, dubitare possemus, ne aliqua indecenter & inhonestè peteremus; sed quia facta est ab illo, qui est fons, & sapientia in excelsis, omnis dubitatio impetrandi excluditur. Colos. 2. 1. Cor. 1. Matth. 20.

Tertiò, requiritur ordinis congruitas, quæ hic obseruatur mirabiliter; quia primò petuntur illa, quæ nos ordinant in diuinorum deuotionem, & subiectionem, cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, & quòd suum Regnum veniat super nos, & quòd eius voluntas in nobis fiat, sicut fit in Angelis, & sanctis suis: & postmodum petuntur illa, quæ nos ordinãt ad temporalium substentationem, & malorũ liberationem. Ex quo ista oratio apparet omnibus alijs excellentior; nec mirum, quia formata est ab illo, qui omnia constituit in pondere, numero, & mensura. Sap. 11.

Quarta conditio est continuitas, quia de hac oratione Saluator docet nos semper orare; quod verum est in desiderij affectione erga cœlestia, quamuis non semper verborum prolatione: licet enim, secundum Augustinum, in oratione non debeat semper esse continua verborum expressio, quia necesse est vacare alijs necessitatibus vitæ; tamen semper est necessaria continua cordis, & mentis affectio, si feruens per- Luc. 18. Aug. ad Probam to. 2. cap. 10.

seueret intentio. Vnde hac de causa hanc orationem breuissimam ordinauit, vt facilius addisceretur, fortius retineretur, & à nullo ignoraretur.

Quinta cõditio est humilitas, in qua hæc oratio excedit: Nam ille tam altus Dei filius hanc orationem condidit, qui dixit Discipulis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Et quòd qui se humiliat, exaltabitur: & quòd Pharisæus superbus non fuit in hac oratione exauditus, sed humilis Publicanus; & qui per Spiritum sanctum dixit: Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.

Matth. 11. Luc. 15. & 18.

Idem ibid. Psal. 101.

De septem Petitionum diuisione, ac sufficientia.

AD secundam dubitationem dicendum, quòd in hac oratione petũtur illa, quæ nos iuuant ad cõsequendam beatitudinẽ, ad quã duo maxime sunt necessaria. Primũ est, diuinorum bonorũ dilectio & contemplatio. Secundum est, nostrorum malorum, & defectuum remotio, & releuatio. In diuinorum autem bonorum dilectione tripliciter possumus adiuuari. Primo in eorum veneratione, ne à nobis contemnantur. Et in hoc iuuari petimus per primã petitionem, cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* In qua petitione admonet nos secundum Augustinum, vt nomẽ Dei, quod semper est sanctum, etiam apud homines sanctum habeatur, id est, non contemnatur, sed reuereatur, quia sanctũ & terribile nomen eius, quod non ipsi Deo, sed hominibus prodest. Secundo in eorum adeptione, ne consecutione, & fruitione diuinorum bonorum frustremur, & priuemur, & in hoc iuuari petimus per secundam petitionem, in qua dicimus: *Adueniat Regnum tuum.* quia secundum Augustinum, siue veniat, siue non veniat, petimus, vt ita veniat in nobis, vt cum ipso regnare mereamur. Tertio in eorum subiectione, ne in aliquo voluntati diuinæ, & præceptis Dei resistamus: & in hoc petimus iuuari per tertiam petitionem, cum dicimus: *Fiat voluntas tua in cælo, & in terra.* in qua secundum Augustinum precamur diuinam obedientiam; vt sic à nobis voluntas

Duo maxime necessaria ad consequẽdam beatitudinem.

August. ad Probam to mo 2. c. 11. Ps. 119.

August. ad Probam to mo 2. c. 11.

luntas eius fiat in terra, sicut ab Angelis eius fit in cælo.

Secundo, nobis est necessaria malorum remotio, & defectuum releuatio. Sunt autem in nobis quatuor mala, & quatuor defectus. Primus defectus est vitæ naturalis quantum ad indigentiam, & in hoc petimus releuari per quartam petitionem, cum dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* vt nomine panis secundum Augustinum omnia vitæ nostræ necessaria intelligamus. Secundus est defectus culpæ, & peccati, quibus anima maculatur, & desgratiatur, & in hoc petimus releuari per quintam petitionem, cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut,* &c. Tertius defectus est futuri periculi, quod timetur quantum ad diabolicæ tẽtationis imminentiam, & in hoc petimus releuari per sextam petitionẽ, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Vt scilicet, secundum Augustinum, ne deserti diuino adiutorio alicui tentationi assentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Quartus defectus est mali præsentis, quantum ad cuiuslibet tribulationem, & infirmitatum diffidentiam. Et in hoc petimus releuari per septimam petitionem, cum dicimus: *Sed libera nos à malo.*

Quatuor mala, & 4. defectus inueniuntur in nobis.

Augustin. ad Probam tomo 2. c. 11.

Aug. ibid.

Non est aliter orandum, nec alia sunt petenda à Deo, quàm ea, quæ in Oratione Dominica posita sunt: sed eius verba formalia non sunt necessaria.

QUOD tertiam dubitationem respondet S. Cyprianus in suo libro de Oratione, dicens: Quæ oratio potest esse apud Patrẽ magis vera, & magis digna q̃ illa, quæ à filio, qui est veritas, est dictata? vt aliter orare, quàm ipse docuit, non ignorantia sola fit, sed & culpa; cum ipse posuerit, & dixerit: Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Ergo secundũ Cyprianum culpa, & peccatum est, alia, vel aliter orare, quàm in hac oratione Domini posita sunt, & hanc relinquere, & alias orationes humanas facere.

S. Cypriã. serm. 6. de orat. Dominica statim post initiũ.

Matth. 15.

Secundum autem Augustinum ad Probam hæc dubietas sic soluitur: Quia ille, qui aliter orat, vel orat carnaliter, & petit

Augustin. ad Probam tomo 2. c. 12.

petit non conuenientia suæ saluti; tunc planum est, quòd peccat. Si autem orat spiritualiter petens conuenientia suæ saluti, tunc non peccat. Quia quæcunque alia verba dixerit, nihil aliud poterit petere, quàm ea, quæ in ista oratione Dominica continentur. Vnde Augustinus ad Probam dicit: Quæcunque alia verba dicimus, si congruè, & spiritualiter oramus, nihil aliud dicere possumus, quàm illa, quæ in hac oratione Dominica posita sunt, cum in ipsa contineantur omnia necessaria ad salutē, vt probatum est in septē petitionibus: & cōcludit Augustinus, q̄ quisquis orans illa dixerit, quæ ad hanc Euāgelicam precem pertinere non possint, & si non illicitè orat, carnaliter tamen orat, cum spiritu renatos non nisi spiritaliter deceat orare, & concludens veritatem quæstionis dicit: Liberum est, alijs atque alijs verbis Deum orare, eadem tamen in orādo dicere; Non debet autem esse liberum alia, & alia dicere, quæ in ipsa oratione non continentur, quia tunc carnaliter oraret.

August. ad Probam to no 2. c. 12.

Vide supe-rius 2. q̄.

Septem petitionibus, septem dona Spiritus sancti respondent.

AD quartam dubitationem respondeo secūdum Augustinum, quòd istis septem petitionibus, correspōdet septiformis operatio Spiritus sancti. Nam quod nobis diuinum nomen sanctū, & dulcorosum sit, quod petitur per primam petitionē, hoc fit per donum Timoris. Quod verò Regnum Dei veniat in nobis, ita quod regnemus cum ipso, quod petitur per secundā, fit per donū Pietatis. Quod autem Deo simus obedientes, eius voluntatem adimplendo & semper eligendo quod sibi placet, quod petitur per tertiam

Augustinus tomo 4. de sermone Domini in monte lib. 2. cap. 18. Hęc omnia in huius q̄stionis solutione citata, & multo plura ponūtur ab Aug.

loco citato, ordine, quo hic leguntur, retrogrado. Nam septiformis operatio Spiritus sancti ab Esaia cap. 11. recensita incipit à Sapientia, hic verò à Timore; ex Augustini sententia in De sermone Domini in monte lib. 1. cap. 9. dicentis: Enumerationem donorum Spiritus sancti in Esaiæ lib. ab excellentioribus cœptam fuisse, hic vero ab inferioribus esse sumendam, vt enumeratio, & applicatio septem petitionibus congruat, ordine, quo positæ sunt in oratione. Sed in exemplaribus Augustini Triumphi manuscriptis ordinem ab Esaia positum reperi; & in hunc locum ordinem à sancto Augustino inuersum, septemq̄, petitionibus gradatim congruentem, reponere mihi visum est

tiam, hoc fit per donum Scientiæ. Quod verò temporalia & necessaria vitæ ordinemus ad Dei laudem, & obseruationem suorum mandatorum, quod petitur per quartam, fit per donum Fortitudinis. Quod autem non reddamus mala pro malis, sed bona pro malis scientes conuersari in prauorum natione, quod petitur per quintam, fit per donum Consilij. Quod verò tentationes nō incurramus, & proximis nostris illas incurrētibus cōpatiamur, quod petitur per sextam, fit per donum Intellectus. Sed quòd liberemur à malis, quod petitur per septimam, fit per donum Sapientiæ. Hæc ex Augustino loco supra citato.

Septem petitionibus septem Beatitudines respondent.

AD quintam dubitationē dicit Augustinus, quòd septem sunt Beatitudines perficientes hominem in vita ista, quibus in futuro habebunt quandā beatitudinem, & lætitiam: Nam octaua beatitudo, in qua dicitur: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, non perficit, sed est profectus & declaratio aliarum. Istæ ergo septem beatitudines, secundum Augustinum, correspondent septem donis Spiritus sancti nobis collatis per septem petitiones in ista oratione Dominica. Nam dono Timoris Dei, qui congruit humilibus, correspondet illa beatitudo, qua dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorū est regnum cœlorum, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit: Noli altum sapere, sed time, id est, noli extolli. Dono vero Pietatis, quæ congruit mitibus, correspondet illa beatitudo, qua dicitur; Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, illam, scilicet, de qua dicitur in psalmo: Portio mea, Domine, sit in terra viuentium. Qui enim piè quærit, honorat sanctam Scripturam, & non reprehendit, quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est mitē esse. Dono autem Scientiæ, quæ congruit lugentibus, correspondet illa beatitudo, qua dicitur: Beati qui lugent; lugere namque sua, & aliorum peccata, & scire portare prospera, &

Aug. de serm. Dñi in monte. to. 4. lib. 1. c. 4. Quæ in huius etiā qō nis. solutione ex Aug. citantur, in manuscriptis Augustini. Triūphi exēplaribus inuenta reperi; at hic verā eādemque Aug. lectionem ponere magis libuit. Rom. 11. Psal. 141.

ra, & aduersa supra humanum modum, pertinet ad donum Scientiæ. Dono verò fortitudinis, quæ congruit esurientibus: & sitientibus, correspondet illa beatitudo, qua dicitur: Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Cum enim omnes volentes iustè, & piè viuere in Christo persecutionem patiantur, hoc sine dono Fortitudinis esse nō potest. Dono autem Consilij, quod congruit misericordibus, correspondet illa beatitudo, qua dicitur: Beati misericordes. Hoc enim vnum remedium est, de tantis malis euadendis vt dimittamus, sicut & nobis dimitti volumus, & adiuuemus, in quo possumus, alios, sicut & nos, in quo non possumus, cupimus adiuuari. Dono verò intellectus, qui cōgruit mūdis corde, cōgruit illa beatitudo, qua dicitur: Beati mūdo corde, quoniā ipsi Deū videbūt. Nā secundū Augustinū, Deus nō nisi à purgatissimis mētibus cernitur, quæ mētis purgatio fit per donū Intellectus. Dono autē Sapiētiæ, quæ cōgruit pacificis, correspōdet illa beatitudo, qua dicitur: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Cum enim in pacificis iam ordinata sint oīa, nulliusq; motus aduersus rationem rebellis sit, sed cuncta obtemperent spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo, hoc fit per donum Sapientiæ.

Huic adsimile dixit in lib. 1. soliloquiorū. cap. 1. To. 1.

ORATIONIS PROOEMIVM.

In quo Dei beneuolentia captatur.

Pater noſter, qui es in Cœlis. Matth. 6.

PAter noſter. Poſita forma orandi in communi, hic Saluator * explicat in ſpeciali ea, quæ per ſuam orationem ſunt petenda. * al. exemplificat.

Et diuiditur tota hæc oratio in ſeptẽ partes ſecundum ſeptem petitiones, quæ in ea continentur. Et ſic faciemus de tota hac oratione ſeptem partes, ſeu ſeptem lectiones. Sed prius in hac oratione præmittitur procemium, quod debet eſſe exordium cuiuſcunque orationis, cum dicitur: *Pater noſter, qui es in Cœlis.*

Ad cuius euidentiam ſciendum, quòd ſecundum Auguſtinum in libro de ſermone Domini, in omni oratione, & deprecatione primum conſideranda eſt beneuolẽtia eius, à quo petimus: beneuolentia autem ſolet acquiri, ſi in laudem eius in exordio orationis aliquid dicamus. Et hoc ponitur in principio huius orationis cum dicimus: *Pater noſter, qui es in Cœlis.* Nominando enim ipſum patrẽ, multitudinem beneficiorum, quæ ab ipſo ſumus conſecuti, confitemur, & in laudem eius prorumpimus, & beneuolentiam eius captamus. Et dicitur: *Qui es in Cœlis*, ſignanter, vt dicit Chryſoſtomus, vt ſcilicet cognoſcentes nos Patrem habere in Cœlis, erubeſcamus rebus terrenis nos ſubſternere. Poſſunt tamen ſuper hæc verba tres dubitationes conſiderari. Aug. de ſer mone dñi in mõte to mo 4. lib. 2. c. 8. Chryſ. homil. 14. in Matth. tomo 2.

1. Vtrum conuenientius Deus inuocetur nomine Patris, quàm Domini.

2. Vtrum conuenientius diceretur: Pater meus, quàm Pater noſter.

3. Vtrum conuenientius diceretur: Qui es vbique, quàm Qui es in Cœlis.

Nomen Patris conuenientius, quàm Dei, Dominica in oratione inuocatur ratione creationis, gubernationis, & adoptionis.

Aug. de ser. Domini in monte tomo 4. lib. 2. c. 8.

AD primam dicendum, quòd Augustinus hanc dubitationem determinat in libro de sermone Domini, dicens: Quamuis multa dicta sint in laudem Dei in sacra scriptura, tamen in testamento veteri nunquam inuenitur, quòd sit præceptũ populo Dei, vt orando appellarent Deum Patrem, sed Dominus eis insinuatus est,

Leuit. 20. scilicet, Adonai, domine Deus noster: Iuxta illud: Obseruate præcepta mea, ego Dominus. Et stetis in cæremonijs meis, ego Dominus. Et dato quòd ipsum Dominum habere potuissent in patrem, si eius beneficia voluissent cognoscere, & eius mandata seruare, tamẽ noluerũt, existẽtes ignari, & ingrati. Est enim ipse Deus pater omnium propter tria.

Primò ratione creationis, licet enim Deus creauerit om-

Gen. 1. nes Creaturas. nulli tamen impressit suam similitudinem, & imaginem, sicut creaturæ rationali, & de ratione filij est, quòd sit Patris imago, & similitudo in eo impressa. ideo non dicitur leo, vel equus filius Dei, sicut Homo.

Secundò ratione gubernationis, quia homines in toto mundo, quæ est domus Dei, nõ gubernat vt seruos, sed vt fi-

Philos. in Polit. 1. c. 8 lios; secũdum enim Philosophum in Poli. Paterfamilias aliter debet gubernare filios, aliter seruos, aliter animalia: & Deus homines gubernat vt filios, dãdo eis potestatem, & dominium super omnia, cuncta sibi subijciendo: Omnia verò alia gubernat, vt seruos.

Tertiò rõne specialis adoptionis, quia alijs creaturis dedit quædam munuscula, & quædam naturalia dona, quibus in esse naturæ seruentur; sed hominibus tanquã filijs dedit

Galat. 4. hæreditatẽ, dicente Apo. Si filij sumus & hæredes, hæredes

Ioan. 1. quidẽ Dei, cohæredes verò Christi. Ioan. primo: Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Quia ergo Iudæi noluerunt Deum cognoscere patrẽ quan-

tum

tum ad ista tria beneficia, quæ illis Deus contulit magis, quàm alteri populo, propter eorum ingratitudinem Deum relinquentes, & idola colentes, sicut Deus contra ipsos conqueritur dicens Isa. primo: Filios enutriui, & exaltaui; ipsi vero spreuerunt me; & per Malachiam: Si ego Dominus vester, vbi est honor meus? Ideo secundum Augustinū nunquam Deus insinuatur ei vt Pater, neque ipsi vt Patrem adorabant eum, sed vt Dominum aliquando timebant. quia vt serui correcti timore pœnarum, & flagellorum Deo seruiebant tanquam domino, non amore, vt filij: Sed solum nouus populus Christianus iam ad cœlestem hæreditatem vocatus, & redemptus Christi sanguine, & adoptatus debet vti hac voce in sua oratione noui testamenti, vt dicat: *Pater noster*, in quo, vt ait Augustinus, datur nobis filijs quædam fiducia impetrandi, quæ petimus, cum prius, quàm aliquid petamus, tam magnū donum accepimus, vt præsumamus dicere Deo: *Pater noster*. & subdit, quid est quòd non det pater filijs petentibus, qui iam hoc ipsum ante dedit, vt essent filij lucis, iuxta illud Ioannis primo: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.

Isa. 1.

Malach. 1.

Aug. de ser mo. Domini in monte tomo 4. lib. 2. c. 8.

Idem ibidem.

1. v. 12.

Soli Christo Dei filio per naturam licet Deum singulari nomine Patrem appellare: Cæteris hominibus non nisi Deum patrem communem fas est, cum oratio sit communis, & charitas ipsa, ita esse orandum, persuadeat.

AD secundam dubitationem aliter respondet Augustinus; & aliter Chrysostomus, aliter verò Cyprianus. Nam Augustinus dicit, quòd solus Christus potest dicere Pater meus, quia solus ipse est filius Dei per naturam; Vnde in persona Christi exponitur illud Psalmi: Ipse inuocabit me: Pater meus es tu. Vnde etiā habemus in Euangelio quando ipse orauit tempore passionis dixit: Pater mi, si possibile est, &c. Sed omnes alij homines non sunt filij per naturam, sed per adoptionem, vt sic Deus cōmuniter est Pater omnium, de quo dicit Christus: Nolite vobis patrem vocari super terram, quia vnus est Pater vester, qui

Augustini, Chrysostomi, & Cypriani diuersa solutio.

est in Cœlis.

Chrysost. to. 2. in 6. c. Matth. homil. 24.

Chrysost. autem dicit ad hoc dubium, q orare pro se est necessitatis, in qua oratione sic singulariter orans pro se posset Deum Patrem suum appellare dicens: Pater meus, Creator, & Redemptor meus. Sed orare pro alijs est charitatis: in qua oratione sic orãdo pro alijs debet Dominum Deum patrem communem appellare. Et quia, vt ipse ait, dulcior est apud Deum oratio, quam charitas transmittit, quàm illa, quã necessitas facit; Cũ nulla oratio apud Deum possit esse dulcior ista; ideo in hac Oratione debet homo dicere: Pater noster, & non Pater mi.

Cyprianus ser. 6. de orat. Dñica, non lõge ab initio.

Sanctus autem Cyprianus in suo libro de oratione dicit? Ideo cum oramus nõ dicimus Pater meus, sed Pater noster, quia magister pacis, & vnitatis noluit singulariter, & priuatim orationem fieri tantum pro seipso, sed vt virtus charitatis extendatur ad omnes alios homines. & ideò voluit, vt cõmunis esset nostra oratio ad Deum patrem, vt sicut Deus pater in vno homine omnes redemit, & sicut charitas Christi ad omnes se extendit, quia pro omnibus se obtulit sacrificium Deo Patri; sic voluit, vt vnusquisque in oratione Rom. 12. sua pro omnibus oraret. quia, vt dicit Apostolus, Omnes vnum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.

Deus quamuis vbique sit, congruentius tamen in Cœlis esse dicitur: & Augustino asserente, dicitur esse in Cœlis, hoc est, in Sanctis per gratiam, & in Angelis quadruplici ratione suadente.

Aug. de ser. Dñi in mõte tomo. 4. lib. 2. c. 9. Dicit Deus etiam esse in cœlis. quia ibi totum se manifestat suis electis. Ibidem.

AD tertiam dubitationẽ respondet Augustinus in libro de sermone Domini, quòd si in Cœlis tamquam superiori parte mundi Deus localiter esse creditur, melioris meriti essent Aues Cœli, quàm nos, quarum vita Deo vicinior est: & illis, qui habitant in montibus, Deus vicinior esset, quàm illis, qui habitant in Vallibus, quod est absurdum, & ridiculum dicere. Intelligetur ergo secundum Augustinum cum dicitur: *Pater noster, qui es in Cœlis*. i. in sanctis, & iustis Viris. quia sicut homo peccator appel-

appellatur terra iuxta illud Gen. 3. Terra es, & in terram reuerteris; ita homo iustus, & sanctus vocatur Cœlum, quia ē sedes Dei, & locus, in quo Deus habitat per gratiam. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, vt inquit Apostolus. Gen. 3. al. pulus. 1. Cor. 3.

Dicūtur autem Sancti Cœli propter quatuor. Primò propter animorum præparationem, quia cum sancti versus partem Orientis orent, non intelligunt Deum sic in oriente habitare, vt alias partes mundi deserat, nec Deum aliquo locorum spatio contineri; sed magis intelligunt eum vbique præsentem, Cœlum, & Terram implere. Præparatur ergo animus eorum, secundum Augustinum, secundum naturam excellentiorem, vt puta ad Deum se ipsos conuertere, cum eorum terrenū corpus ad corpus excellentius, vt puta ad cœleste conuertatur per contemplationem cœlestium: & talis præparatio potissimè necessaria est in oratione. Vnde Oranti per Spiritum sanctum dicitur: Præpara animā tuam ante orationem, scilicet mētem à terrenis ad cœlestia eleuando. Sancti dñi cœli prer quatuor. Aug. de ser. Dñi in mō te to. 4. lib. 2. c. 9. Eccli. 18.

Secundo dicūtur Cœli propter cœlestium imitationem. dicit enim Apostolus, quòd sicut imaginem portamus terreni hominis, sic debemus portare imaginem cœlestis. In persona autē peccatorum dictum est, nos portare imaginē terreni, quia peccatores illam imaginem in peccato imitantur diligendo tantum terrena. ergo in persona Sanctorum dictum est illos portare imaginem cœlestis, quia per imitationem illam sequuntur. 1. Cor. 15.

Tertiò propter cœlestium contemplationem. consueuerunt enim homines cor, & mentē eorum ad ea dirigere, & illa cōtemplari, quæ maximè diligunt, iuxta illud Matth. 16. Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. & quia sancti viri cœlestia, & non terrena diligunt, ideò illa contemplantur, secundum illud Apostoli in persona Sanctorum: Conuersatio nostra in Cœlis est. Matt. 16. Philipp. 3.

Quartò propter attentionem, & inquisitionem, quia ipsi semper quærunt cœlestia, & non terrena. illis enim dixit Apostolus: Quæ sursum sunt, quærite, nō quæ super terram, Coloss. 3.

ideo

ideo sancti dicuntur Cœli. Alij Doctores dicũt, quòd quamuis Deus sit vbique, & in Terra, sicut in Cœlo; tamen Christus hoc posuit, vt sciamus nos Patrem habere cœlestem, vtque ad cœlestem hæreditatem anhelemus. & ideo dicit Chrys. Erubescat homo se terrenis subdere, cum Patrẽ habeat in Cœlis, & vt ostendat quòd potens est dare quod petimus, cum in Cœlo sit omne bonum; & ille, qui in Cœlis est dominus omnium potens nobis omnia donare. *Qui es in Cœlis*, i. in Sanctis tuis, & Angelis per claram visionem in Patria; & hic per gratiam.

Chrysost. in 6. Matt. hom. 14. to. 2.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

De narrationis ordine.

EXpedito procemio, hic ponitur prima petitio, quia ordo orationis requirit, vt post exordium incipiat narratio. Pro quo est sciendum secundum Nicolaum de Lyra in hac oratione Matth. 6. quòd cum oratio secundum Damascenum sit petitio decentium à Deo; Christus in hac oratione, vt dictum est supra, docet quid debeamus petere à Deo secundum decentiam. Illud autem, quod primo cadit in appetitu hominis, est beatitudo, cum sit finis rationalis creaturæ. Ideo in hac oratione primo petitur ipsa beatitudo, & hoc in istis primis duabus petitionibus: Secundo petuntur media, per quæ peruenitur ad ipsam, ibi: *Fiat voluntas tua*, cum sequenti petitione. Tertio petuntur remoueri impedimẽta, quæ possunt nos impedire ab ipsa beatitudine, in alijs tribus petitionibus sequentibus. Et quia duplex est beatitudo: Imperfecta scilicet, quæ est in via, idest, in hac vita per fidem, qua cognoscitur ipse Deus, vt finis noster per speculum

Nicolaus & Lyra super Matth. 6. c. Damasc. libro 3. de fi. orth. c. 24.

Beatitudo duplex.

lum in ænigmate, & in spe. Alia est beatitudo perfecta, quæ est in cœlesti patria, qua cognoscitur facie ad faciem, ideo in prima petitione petimus Dei cognitionem per lumẽ fidei, ibi: *Sanctificetur nomen tuum*. in secunda vero perfecta beatitudo, ibi: *Adueniat regnum tuum*. quod erit in cœlesti patria. dicit igitur in prima petitione: *Sanctificetur nomen tuum*. ideſt, sanctum esse prædicetur, & manifestetur cunctis gentibus cognitio nominis tui; quia tu solus es verus Deus: vnde dicit Titus super Lucam: Nota sit tua sanctitas mundo, & laudent te omnes decenter: iussit ergo orare pro illuminatione totius mundi, vt verum Deum, & Creatorem omnium cognoscant, quem mundus non cognoscebant. Pro huius declaratione occurrunt tres dubitationes. Titus super Lucam.

1. Vtrum conuenientius orans diceret: Manifestetur nomen tuum, quàm, Sanctificetur.

2. Vtrum conuenientius diceret: Sanctificentur nomina tua.

3. Qualiter nomen Dei in nobis possit sanctificari.

Sanctificatio magis, quàm manifestatio Dei nominis petenda est, cum hæc apud omnes nationes reperiatur: ea vero non nisi apud iustos, & veros Christi fideles.

AD primam dubitationem dicendũ quòd amplius, & maius est, nomen Dei esse apud aliquos sanctum, quàm esse manifestum, & notum. De Deo enim potest haberi triplex manifestatio, vel notitia. Vna naturalis, quia secundum Damascenum: Cognitio essendi Deum est omnibus naturaliter inserta, istoq; modo naturaliq; ratione Gentiles & Pagani Deũ cognouerũt, non tamẽ nomen Dei apud se in sanctitate, & reuerentia veneratione habuerunt; quia si sic, eum non contempsissent propter idola muta, & vana. Vnde dicit Apostolus Roman. primo: Cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt eum, aut gratias egerunt, sed mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Damasce. lib. 1. c. 4. Rom. 1.

Aliqui

Aliqui verò cognouerũt Deum, & suum nomen Legis, & Prophetarũ pronũciatione, sicut Iudæi, de quibus dicit psal.
Psal. 75. Notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius. & sic per Legem & Prophetas cognouerunt Dei filium venturum in mundum; non tamen Dei nomen in sanctitate timoris, & reuerentiæ habuerunt; vnde dicit Augustinus super il-
Aug. super psal. 75. to. 8. lo verbo: Notus in Iudæa Deus, quòd Iudæi, qui secundum carnem erant Iudæi, solum verbo, & lingua cognoscebant nomẽ Dei scilicet Adonai, sed corde non sanctificabant, nec venerabantur ipsum, immò sæpius ipsum contẽpserunt, ad cultum Idolorum reuertentes sæpius, & filium Dei negauerunt ante Pilatum, & morti condemnauerũt, cum dixerunt:
Io. 16. Secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.

Tertiò sunt aliqui, qui nomen Dei cognouerunt, & cognoscunt fidei confessione, & filiali veneratione, sicut fideles Christiani, & Iudæi, qui spiritualiter, & non carnaliter sunt Iudæi. apud tales nomen Dei sanctum habetur, quia per
Rom. 10. eos corde creditur, ore confitetur, & opere veneratur. Dicendum est ergo, q Gentiles & Pagani cognoscentes Deum naturali ratione non potuerunt orare, & dicere: *Sanctificetur nomen tuum*, neque Iudæi, qui carnaliter, non spiritualiter Deum adorabant. & ideo propter carnalia desideria ipsum contemnentes cum Gentilibus idola adorabant; Sed solum iusti, & veri Christiani, qui Deum timent, & venerantur tanquàm boni filij Patrem suum, qui nomen Dei, & filij eius corã Principibus & Regibus huius mundi hoc nomen persequentes libera voce confitentur, & glorificant, & venerantur vsq; ad mortis tolerantiam: & ideò signanter dicitur: *Sanctificetur nomen tuum*, potius quàm manifestetur.

Sicut

Sicut vnum Deum in tribus personis adoramus; ita ab eadem sanctissima Trinitate, tamquam ab vno Deo in nobis sanctificationem effici postulamus. Hinc nomen, non nomina sanctificari desideramus.

AD secundam dubitationem dicit S. Cyprianus: Ridiculum est dicere, quòd optemus, vel desideremus, vt Deus ex nostris orationibus sanctificetur. Petimus ergo, vt sanctificationē, quam per eum in Baptismo suscipimus, perseueranter teneamus, ipse enim Deus semper est sanctus, cuius sanctitas nec augeri, nec minui potest. Et ideo petimus, quòd in nobis sanctitatem efficiat, sicut & Augustinus exponit, & tunc Deus sanctificatur *in nobis*, quando nos per suam gratiam sanctos facit; vn de ipse ait: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Cum ergo sanctitas prima, scilicet Baptismalis fit in nobis à tota Trinitate, ita quòd nec Baptizatus, nec Sanctificatus esset aliquis solum in nomine Patris, vel solum in nomine Filij, vel solum in nomine Spiritus sancti. Videretur ex hoc, quòd deberemus conuenientius orare, & dicere: Sanctificetur nomina vestra, referēdo hoc ad nomina omnium personarum. Pro cuius declaratione sciendum secundum Augustinum in libro de Trinit. & Scot. in 1. & 2. sententiarum, quòd omnis effectus, & omnis actus operationis, quæ fit à Deo in creatura, ibi tota Trinitas simul inseparabiliter operatur, quia opera Trinitatis ad extra sunt inseparabilia sicut fuit in creatione mundi, in qua simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt operati. Psalmus dicit: Verbo Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: ideo nostram sanctificationem, sicut nostram creationem, & nostrā gubernationem tota Trinitas simul efficit; Vnde sicut omnes tres personas adoramus vna adoratione propter vnam mentem, sic dicitur de Abraham, quòd tres vidit, & vnum adorauit. non enim, vt dicit August. 1. de Trinit. scriptum est: Dominos Deos tuos adorabis, sed, Dominum Deum tuum adorabis. Sic sanctificationem omnium trium Personarum petimus in nobis fieri vno sanctificationis nomine, quando dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, hinc est, quòd in no

S. Cypria. ser. 6. de orat. domin.

Expositio D. Aug. to. 4. de serm. dñi in mon te. lib. 2. c. 10.

Aug. de Trinit. to. 3. libro 1. c. 4. & 5. & alibi multoties. Scot. in 1. & 2. sēt. & reliqui Schola stici oēs. Trinitatis opa ad extra sunt cō munia, & indiuisa. Psal. 30.

Aug. 1. de Trin. c. 6. to. 3.

stra baptismali sanctificatione non exprimuntur pluraliter nomina trium personarum, quia non dicitur: Baptizo te in nominibus Patris,& Filij, & Spiritus sancti: sed dicimus singulariter: Baptizo te in nomine, quia virtus illa, quæ efficit nostram sanctificationem, conuenit naturæ,& essentiæ diuinæ, in qua tres personæ conueniunt in vna substantia; cuius diuinæ naturæ nomen adoramus. quia tribus vnum honorem impendimus,& Deum vnum in substantia,& trinum in personis esse credimus.

Dei nominis sanctificationem dum petimus, affectum terrenum à nobis auferri, nos à peccatis mundari, perseuerantiam in bono operando postulamus.

AD tertiam dubitationem dicendum, quòd hoc nomen petimus in nobis tripliciter sanctificari, secundum quòd Sanctum aliquid tripliciter dicitur. Agios Græcè, idest sine terra. Primo, sanctum dicitur idem, quod sine terra; ideo illi, qui sunt in Cœlo, dicuntur Sancti, quia nullum habent affectum terrenum; per terram autem significantur peccatores, qui totum affectum suum habent circa bona ista terrena. Terra enim est elementum siccum,& aridum; sic cor peccatoris, quod caret Dei gratia, dicitur siccum, & aridum non faciens aliquem bonum fructum: sed sicut terra sine aqua producit spinas, & tribulos, & herbas venenosas. Psalmus Psal. 142. dicit: Anima mea sicut terra sine aqua tibi, & loquitur in persona peccatoris. Ideo petimus nomen Dei sanctificari in nobis, vt Deus per gratiam suæ sanctificationis, & lumen suæ sapientiæ auferat à nobis affectum terrenum infundendo amorem cœlestium bonorum, cum ipse sit Pater cœlestis, & non terrenam hæreditatem repromiserit.

Secundo, sanctum idem est quod firmum & stabile; vnde ideo dicitur Deus Sanctus, quia Deus stabilis est, & immutabilis in sua perfectione & virtute; & beati, qui sunt in Cœlo, dicuntur Sancti, quia confirmati, & stabiles sunt in Dei amore & gratia, & amplius peccare non possunt. Peccatores non sunt stabiles in bono operando, sed in continuo

Deus cur dicatur sanctus: & Beati cur sancti dicãtur.

motu

motu de peccato in peccatum ruendo, quia, vt dicit Gregor. Peccatum, quod pœnitentia non delet, ipso suo pondere mox ad aliud trahit; ideo per Dei gratiam petimus, vt cor nostrum fiat stabile, & firmum in bono semper operando, propter Dei amorem, & sic nomen eius sanctificatur in nobis, quia, vt dicit Christus per Matth. cap. 10. Non qui inceperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Greg. to. 1. lib. 21. Moral. in 34. cap. Iob c. 9. in editione Basileę. In editione vero Parisiensi c. 12. & in to. 2. super Ezechielē Homil. 11. ait: Peccatum, quod p pœnitentiam citius non delet, aut peccatum est, aut causa peccati, simul & pœna peccati: Et iusto iudicio omnipotēs Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alterā permittit cadere.

Tertio, sanctum idem est, quod sanguine tinctum, seu mūdum, quia, vt dicit Apostolus, in lege veteri omnia in sanguine animalium in sacrificijs sanctificabantur, & mundabantur. Et quia omnes beati, qui in Cœlo existunt, sunt mūdati à suis peccatis sanguine agni immaculati, Iesu Christi, sicut dicitur Apocalyp. 1. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo; ideo petimus à Deo Patre, vt nomen eius sic sanctificetur in nobis, quòd à peccatis nostris mūdemur virtute passionis Christi, quam semper in nostra memoria debemus habere, & pœnitentiam de peccatis nostris agere, quia per ista duo anima mundatur à peccatis, & nomen Dei sanctificatur in nobis.

SECVNDA PETITIO

Adueniat Regnum tuum.

ISta est secunda petitio huius orationis Dominicæ, & multo conuenienti ordine posita, vt dicit glossa. Nam per sanctificationem in filios Dei adoptamur, quia per hoc, quòd nomen Dei sanctificatur in nobis, nos sanctos efficiendo, dat nobis potestatē filios Dei fieri, Ioan. 1. Et quia propriè est filiorum petere hæreditatem Patris, & regnum eis debitum, ideo posita prima

Ioan. 1.

petitione scilicet sanctificationis, decet petere Regnũ, & hæreditatis possessionem, & dicere: *Adueniat regnum tuum.* à Deo promissum, & Christi sanguine acquisitum, quod petimus aduenire, ideſt, dari nobis, vt qui in hoc seculo Deo seruiuimus, post mortem cum Christo regnante regnemus. Sed hic possunt oriri quinque dubitationes.

1. Vtrum hoc sit magnæ præsumptionis tam excellens donum postulare.

2. Vtrum conueniens esset dicere: Adueniat iudicium tuum.

3. Vtrum nunc Christus regnet in Mundo.

4. Vtrum in fine seculi Christus sit regnaturus super bonos, & malos.

5. Vtrum aduenientе Christi Regno omnia, Regna debeant euacuari.

Regnum Dei, donum excellentissimum dum petimus, audaces appellari non meremur, si, Dei magnificentiam, & liberalitatem, charitatem item, & gratiam, benevolentiam q. spectemus.

AD primam dubitationem dicendũ, quòd si consideretur Regis conditio, hoc non est audaciæ vitium, sed potius confidentia, & hoc potest esse di triplici ratione; primo propter eius magnificentiam; secundo, propter eius charitatem; tertio, propter ipsius gratiam.

Philos. 4. Ethic. c. 2. Primo, ratione suæ magnificentiæ: nam secundum Philosophum: Magnifici proprium est magna dona donare suis seruis, sed Pater noster cælestis est Rex magnificus super omnes Reges terræ; quia vt Scriptura dicit: Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Exemplum de quodam milite, qui petijt ab Alexandro Magno donari sibi possessionem quandam, cui Alexander donauit magnam Ciuitatem; tunc Miles dixit Regi, non meruisse tam excellens donum: tunc Alexander respondit ei: Non quæro, quid te deceat recipere, sed quid mihi conueniat donare. Et ideo confidenter debemus à Deo Rege tam munificen-

Psal. 144.

Exemplum magnificentiæ & liberalitatis.

ficentissimo cœleste regnum petere, iuxta illud Lucæ 12. Nolite timere pusillus Grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Lucæ 12.

Secundo, propter eius infinitam charitatem, qua nos adoptauit in filios suos, & redemit à seruitute pretioso sanguine filij sui. Vnde dicit Apostolus: Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus. Ideo tamquam Pater plenus pietate & charitate repromisit nobis regnũ cœleste restituere, quod per Adam fuerat amissum, ex merito Christi acquisiturum. Psalmus dicit: Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. ideo confidenter tanquam filij à patre debemus petere cœleste regnum, quod nobis præparauit à constitutione mundi, quia, vt dictum est, filius debet hæreditare ea, quæ sunt patris. 1. Ioan. 3. Psal. 15.

Tertio, propter eius gratiam, & beneuolentiam. Licet enim per operationes, & seruitia nostra illud cœleste regnũ mereri non valeamus, quia finiti ad infinitum nulla est proportio; & quia Deus nõ indiget seruitio nostro, tamen propter pretiositatem suæ gratiæ, quæ datur nobis filijs suis per Spiritum sanctum suum ex sua bonitate, & beneuolentia, opera nostra sunt per eius gratiam ita in conspectu suo accepta, quòd de condigno merentur vitam æternam, & illud cœleste regnum, sicut dicit Apostolus: Gratia Dei vita æterna. Exemplum de annulo aureo, qui licet consideratus in se parum valeat, tamen si coniungatur ei lapis pretiosus, magni pretij extimatur, & quia per suam gratiam ex merito Christi illud Regnũ nobis donare promisit, tanquam suis filijs; & quia Christus Dei filius hanc petitionem præcepit nobis à Deo Patre petere; ideo confidenter sicut dicit Greg. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audemus dicere: Aristot. 8. Physic. t. c. 15. Rom. 6. Exemplum de annulo. Greg. to. 2 lib. 7. ex Registro epi. 63. & Guil. Durãd. præfatiũculam cum oratione Dñica, sup hostiã recitãdam à Gregor. decretum fuisse ait.

Pater noster: Adueniat Regnum tuum.

Christus

Christus quamuis prius sit iudicaturus, quàm regnaturus; nos tamen Regnum tanquam promissum, & vehementer appetendum, non iudicium valde formidandum postulamus. Quæ enim desideramus, non autem quæ formidamus in oratione petenda sunt.

AD secundam dicendum, quòd Christus non veniet vniuersaliter regnaturus, nisi prius venerit vniuersaliter iudicaturus; Cur igitur orans non dicit: Aduenìat iudicium tuum, magis quàm: Regnum tuum? Ad quod respondet Augustinus dicens, quòd iudicium Dei est timendum, & formidandum etiam à Sanctis viris. Vnde super illo verbo Petri: Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi apparebunt? dicit Aug. Quare iustus vix saluabitur, nisi quia iustitiam Dei tantam esse constat quòd nostra iustitia ad examen diuinæ iustitiæ deducta est iniustitia: igitur iudicium Dei est timendum: sed Regnum Dei est vehementer appetendum, & desiderandum. Vnde dicit Aug. ad Probam hoc dictum: *Aduenìat Regnum tuum* exponens dicit, quòd Regnum Dei veniet, siue velimus siue nolimus. Sed desiderium nostrum per hanc petitionem excitamus ad illud Regnum vt in nos veniat, atque in eo regnemus. Quia ergo secundum Augustinum, quæ desideramus, petimus nobis dari per orationem, non quæ formidamus, ideo potius, *Aduenìat regnum tuum*, oramus, quàm iudicium tuum. Hieronymus verò dicit; quòd istam orationem Saluator docuit Apostolos in persona omnium sanctorum, & iustorum, qui à Christo non iudicabuntur, sed cum eo alios iudicabunt iuxta illud: Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes, &c. Tales igitur non petunt iudicium eis aduenire, quia eis non debetur, sed Regnum Christi eis promissum, iuxta illud: Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Ideò regnum illud cito aduenire petunt, cum sit illis promissum.

August.

Idē super illud 1. Petri 4.

August. ad Probam tomo 2. c. 11.

Hieron.

Matth. 19.

Matth. 18.

Christus

Christus in mundo vniuerso nunc regnat Dominio iurisditionis, post finale iudicium Dominio subiectionis, quam expectat patienter, etiam si eam habere nunc posset.

AD tertiam dubitationem dicēdum, Christum nunc in hoc mundo regnare dupliciter potest intelligi. Primo, quantum ad regnandi iurisditionem, ita quòd habeat ius regnandi, & dominandi. Secundo, quantum ad subditorum subiectionem; possunt enim ista duo abinuicem separari, quia multi habent ius, & dominium in aliquo regno; non tamen sibi homines, vt subditi subijciuntur; & multi versa vice nullum ius, & dominium habent in aliquo regno, & tamen tyrannico modo homines sibi subijciuntur, sicut modo sub Imperio Turcarum multi Christiani tyrannicè subijciuntur. Si ergo quæritur, an Christus nūc regnet in toto mundo, dominio iurisditionis: planum est, quòd sic, quia statim post resurrectionem ex merito suæ passionis iurisditiariam potestatem consecutus est à Deo in cœlo & in terra, iuxta illud Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra: & Apocal. 1. Habet in fœmore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Sed si quæratur, an Christus nunc regnet in toto mundo, dominio subiectionis, planum est quòd nō, quia multi eius fidem non recipiunt, & non omnes credunt Euangelio, nec suis præceptis obediunt, & consilijs, immo resistunt, & contradicunt, non solum verbis, sed factis, & prauis operibus; vnde Apost. dicit, ad Heb. exponens illud Psalmi: Omnia subiecisti sub pedibus eius: & nunc videmus non omnia esse Christo subiecta. differtur enim ista vniuersalis subiectio vsque ad finale iudicium ex tribus impedimentis.

Dñium iurisditionis.

Matth. vlt. Apocal. 1.

Dñiū subiectionis.

Ad Heb. 2.

Primo ex diabolica impugnatione. Licet enim diabolus virtute passionis Christi sit foras eiectus quantum ad interiorem vexationem, non tamen quantum ad exteriorem impugnationem, immo nunc fideles sic exterius impugnantur sicut tunc: Vnde August. super illo verbo Ioan. 12. Nunc Princeps huius mundi eijciatur foras, dicit, quod diabolus Christo nato & passo eiectus est foras quantū ad interiorem vexa-

Aug. super illud Io. 12. to. 9. tract. 52.

vexationem & impugnationem, quia tunc in cordibus hominum habitabat, & vexabat; Sed non est eiectus foras, quo ad exteriorem impugnationem, secundum quem modum dicit Hieronymus: Cum petimus: *Adueniat Regnum tuum,* pro regno totius mundi oramus, vt diabolus in hoc mundo regnare desistat.

Hieron. 6. to. in c. 6 Matth.

Secundo, ex patenti dominatione: Cum enim secundum Apost. non sit conuentio lucis ad tenebras, in quibus regnat & dominatur peccatum, quod est quædam tenebra, in eis lux gratiæ Christi regnare non potest, ad quod hortabatur Apostolus quando dicebat: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiæ eius: & isto modo exponit Hieronymus istud dictum: *Adueniat Regnum tuum*: petimus, vt in vnoquoque homine regnet Christus; & non regnet peccatum in nostro mortali corpore.

2. Cor. 6.

Rom. 6.

Hier. ibid.

Tertio, ex liberi arbitrij additione: quia reliquit Deus hominem in manu arbitrij sui, vt in potestate sua sit, se subijcere Regi Christo, vel diabolo tyranno recipiendo suggestionem eius. Cum vero isti Reges sint contrarij, quia vnus est Tyrannus & rex superbiæ: alius legitimus; & mansuetus Christus; vnus non potest seruire istis duobus; ideo in quibus regnat vnus, non regnat alius. Iurisditione igitur Christus regnat in toto mundo, sed subiectione non, vt patet per prædicta. Et quamuis Christus possit omnia impedimenta remouere, non tamen facit, sed patienter expectat, vsque ad finale iudicium.

Christus quo nunc regnet in toto mundo

Christus in fine seculi super bonos & malos multis modis regnabit.

AD quartam, vtrum in fine seculi Christus sit regnaturus super omnes bonos, & malos, dicendum, quòd quantum ad præsens occurrit, in fine sæculi manifestum erit, Christum regnaturum esse super bonos, & malos.

Primo quantum ad iudiciorum discussionem. verum nanque est, quòd nunc animæ à corporibus separatæ statim recipiunt suum iudicium essentiale, quo damnantur vel saluantur, sed particularia iudicia, respectu aliquorum, quibus mortui

tui remanent in memorijs hominum, non recipiunt, sed relinquuntur ista discutienda, & examinanda in iudicio Christi. Remanent enim mortui in memorijs hominum per aliquam famationem. quia aliqui contra veritatem remanent vel bonæ, vel malæ famæ.

Secundo, operatione. quia multi operatione & doctrina alicuius conuertuntur, sicut quotidie conuertuntur homines doctrina Pauli, & peruertuntur doctrina contrarij.

Tertio, quantum ad præmiorum exequutionem, quia tunc bene agentibus non statim respondet gloria: & male agentibus non statim pœna. ideo dicitur Ecclesiast. 9. Sunt Sancti, & iusti viri, quibus multa proueniunt, quasi opera egerint malorum, & sunt impij, & peccatores, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habuerint: Et hoc ideo contingit, quia, vt in eodem libro scribitur, non statim Deus profert contra malos sententiam: & quamuis centies faciant mala per pœnitentiam expectantur. sed tunc velint, vel nolint, mali recipient pœnam, & boni gloriam, ita quòd tunc erit omnino manifestum Christum regnare per largitionem præmiorum quantum ad bonorum gloriam, & malorum destructionem, quia in regno vitæ mors esse non potest. Christus autem, qui tunc regnabit, est vita (vt ipse dicit) & tunc mortem destruet, & vita regnabit. Vnde terminato finali iudicio secundum Augustinum, Christus regnabit spiritualiter super bonos. Ecclesi. 9.

Christus quot modis regnabit super bonos. Hierony.

Primo, quantum ad illuminationem cognitionum, quia non amplius vnus homo docebit, vel illuminabit alium, quia tunc omnes erunt illuminati à Deo, dicente Hieronymo: Cognoscent Deum à minimo vsque ad maximum.

Secundo, quantum ad repletionem donorum, quia tunc Deus omnes sanctos replebit varijs donis, ac præmijs, & Christus per singula, & omnia dona erit in singulis sanctis, & omnia erunt in omnibus.

Tertio, per remotionem omnium malorum. nunc enim sancti mixti sunt cum malis, à quibus multa patiũtur, quia omnis vita malorum detrimentum est bonorum.

Omnia Regna, Christi Regno adueniente, cessabunt quantum ad executionem officiorum commissorum: sed quantum ad alia non item.

AD quintam dubitationem dicendum: Adueniente Christi Regno, omnia Regna in Angelis, Hominibus, & Dæmonibus cessabunt, & non cessabunt: Cessabunt quidem quantum ad exequutionem commissorum officiorum, quia Angeli non plus custodient homines, neque agent custodiam, vel ministerium erga Regna, & Prouincias, & Ciuitates, neque nunciabunt aliqua mysteria noua, neque superiores docebunt inferiores, sicut nunc faciunt: neque Dæmones amplius impugnabunt homines, iam pace data eis; Neque in hominibus remanebit aliqua prælatio, vel dominatio, ita quòd aliquis possit stare in Principem, Dominum, vel Prælatum. Quod erit clarum, & euidens quòd ipsi non habuerunt talia officia, nisi ordinatione & permissione diuina, & tunc erit manifestum Christum solũ regnare, & solum sibi omnia esse immediate subiecta, inuitè quantum ad malos, voluntariè quantum ad bonos. Et manifestum erit, quòd ipse per seipsum regnet, non mediantibus creaturis, iam euacuatis omni potestate, & prælatione. Sed quantum ad destructionem bonorum naturalium, regiminum, & prælationum remanebũt, & quantum ad gradum spiritualium donorum, quia aliqui in Angelis, & in Hominibus, & in Dæmonibus erunt perspicacioris intellectus, & efficacioris naturæ, sicut modo sunt; Nam si natura vigentes intellectu facit naturaliter dominos, & deficientes facit naturaliter seruos, & subditos: talis gradus, & distinctio remanebit etiam, Christo regnante.

Similiter aliqui in Angelis, & Hominibus beatis habebunt maiorem gloriam, & maius præmium, sicut nunc quidam habent maiorem gratiam, & sunt maiores in merito.

TERTIA PETITIO

Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra.

HAEc eſt tertia petitio, in qua Saluator docet nos petere ea, quæ conducere poſſunt ad cœleſte Regnum. Et ſecundum Chryſoſto. iſta eſt optima conſequentia. ipſe enim docuit nos cœleſte Regnum petere, & deſiderare per hoc, quod dixit: *Adueniat regnum tuum*; antequàm ad illud Regnum perueniatur, ipſam terram petit fieri Cœlum, dicens: *Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra*. Quæ petitio ſecundum Auguſtinum in libro de ſermone Domini, quatuor modis intelligi poteſt.

Chryſ. Homil. 20. tomo 2.

Auguſt. de ſer. dñi in monte to. 4. lib. 2. c. 11.

Primo, vt per Cœlum intelligantur ſancti Angeli, per terram vero intelligantur ſancti homines, & eſt ſenſus: Sicut in Angelis voluntas tua fit, vt te perfruantur, non errore obnubilante eorum ſapientiam, ita fiat in ſanctis tuis, qui in terra ſunt, & de terra facti quantum ad corpus. Et eſt conueniens expoſitio iſta pro tanto, quia, vt dicit Aug. in illo beatitudinis regno, vita beata perficietur in ſanctis, ſicut nunc perfecta eſt in Angelis, quia erimus ſicut Angeli Dei in Cœlis. Et ideo Saluator ſtatim poſt illam petitionẽ, qua dicimus: *Adueniat Regnum tuum*, ſubiunxit hanc: *Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra.*

Auguſt. de ſer. dñi in mon. to. 4. lib. 2. c. 11.

Secundo, vt per Cœlum intelligatur homo iuſtus, per terram vero intelligatur peccator, & tunc eſt ſenſus: *Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra*, vt ſicut iuſti, & ſancti faciunt voluntatem Dei, obſeruando eius præceptá, ſic faciũt peccatores, qui conuertuntur, & implent Dei mandata; ſicut ipſe Saluator dicebat: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.

Io. 4.

Tertio modo, vt per Cœlum intelligatur anima, vel ſpiritus noſter ſecundum quòd condelectamur legi Dei, & vo-

lumus libenter Deo seruire: per terram vero intelligitur corpus nostrum, quod est de terra, & ad amorem terrenum inclinatur. Petimus ergo, vt sicut fit nunc voluntas Dei in Cœlo, id est, in spiritu nostro secundum q̃ condelectamur in
1. Cor. 15. lege sua, ita corruptibile hoc corpus induat incorruptionẽ: & mortale hoc induat immortalitatem sine aliqua resistentia obediens animæ; vt per illud voluntas Dei fiat, sicut per spiritum rationalem.

Quarto, vt per Cœlum intelligatur Christus sponsus, & per Terram intelligatur Ecclesia sponsa; & meritò quia sicut Terra fœcundatur Cœlo, sic Ecclesia fœcundatur Christo, & tunc est sensus, quòd sic fiat voluntas Dei in terra. i. in tota Ecclesia sicut facta est in Cœlo. i. in Christo, qui di-
Ioan. 6. cebat: Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui mi-
Matth. 26. sit me; & orando dicebat: Non mea, sed voluntas tua fiat. Sed hic possent oriri quinque dubitationes.

1. Vtrum de istis quatuor expositionibus Augustini vna sit melior alia.

2. Vtrum orans conuenientius diceret: Facias voluntatem tuam, quàm, Fiat voluntas tua.

3. Vtrum orans conuenientius diceret: Fiat voluntas tua in nobis, quàm, Fiat in Cœlo.

4. Vtrum ex præcepto teneamur velle quod Deus vult.

5. Vtrum teneamur velle, sicut ipse vult.

Ex Diui August. quatuor expositionibus alteram altera rationibus diuersis meliorem esse dicendum est.

August. AD primam est dicendum, quòd Deus, secundum Augustinum quatuor vult de homine.

Primo, beatitudinis consecutionem, quia ad hunc finem Deus fecit hominem, vt beatitudinem consequatur. Vnde supra illud Psalm. Nunquid vanè
Idem super illud psal. 88. to. 8. constituisti omnes filios hominum? dicit Aug. quòd in vanum filij hominum essent constituti, nisi per Christum beatificarentur, & resuscitarentur. Ista autem beatitudo in sanctis Angelis iam est perfecta: in hominibus vero est perfi-

cienda.

cienda. Ideo oramus secundum primum modum exponendi, quòd sicut voluntas Dei iam perfecta est in Cœlo. i. in Angelis, ita in Terra perficiatur. i. in hominibus.

Secundo, vult Deus de homine præceptorũ obseruationem, quibus ad beatitudinem perueniatur, quia dicente Saluatore: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, quæ licet impleantur, & seruẽtur per bonos homines, per peccatores autem non obseruantur, sed possent ipsa obseruare, si conuertantur ad gratiam Christi, & hoc oramus per secundum modum exponendi, vt sicut voluntas Dei fit in Cœlo, ideſt, in iustis, & bonis hominibus in obseruatione mandatorum eius, sic fiat in terra. i. in peccatoribus per cõuersionẽ illorũ. Matth. 19.

Tertio, vult Deus de homine primi status rectitudinem. sicut enim Deus primò hominem in tali statu posuit, vt nulla resistentia esset animæ ad Deum, nec carnis ad animam, ita quod non poterat in anima in aliquo insurgere contra Deum, nec etiam in corpore contra animã, sed postmodum ruens in peccatum, pugnã, & resistentiam sentit, & in præsenti vincere non potest, sed in futuro vita restituetur ad primum statum quando illud corpus animale resurget spiri- 1. Cor. 15.
tuale, vt pfectè anima subijciatur Deo, & caro animæ multò magisq̃ fuisset in primo statu. Et ideo illum oramus per tertium modum exponendi, vt sicut voluntas Dei fit in Cœlo, ideſt, *in spiritu nostro*, qui est cælestis cum condelectatur legi Dei, sic fiat in terra. i. in corpore nostro, vt nullam habeat resistentiam ad ipsum; Quod (vt dictum est) fiet in futura vita perfectè, quamuis in hac vita vtrunq; in perfectis viris possit inchoari.

Quarto, Deus vult de homine capitis cũ membris perfectam copulationem. nam caput hominum, immo, & Angelorum est Christus, qui licet sit coniunctus in præsenti cũ suis membris per gratiam, coniungetur in futuro per gloriam. Et hoc oramus per quartum modum exponendi, vnde sicut fit voluntas Dei in Cœlo. i. in capite nostro Christo, sic fiat in terra. i. in tota Ecclesia. itaq; sicut misericordia fœcundatur ab ipso per gratiã, ita perfruatur eius gloria, quod

tunc

tunc fit, quando copulabit sibi glorioſam Eccleſiã non habẽ tẽ maculã, neq; rugam. Cum ergo quæritur quænã iſtarum expoſitionum ſit melior, patet, quòd quantum ad vitæ æternæ conſecutionem melior eſt prima. quantum verò ad præceptorum obſeruationem melior eſt ſecunda; quantum verò ad primi ſtatus rectitudinem melior eſt tertia. Sed quantum ad capitis & membrorum perfectam copulationem melior eſt quarta.

Hæc petitio non in prima perſona, nec in ſecunda facta eſt, vt non Dei tantum, nec hominis dumtaxat boni operis executio eſſe videatur.

Chryſoſt. AD ſecundam dicẽdum, q̃ Chryſoſt. hãc dubitationẽ ſoluit ſuper iſtũ locũ, dicens ſignanter, non eſſe dicẽdũ: Facias voluntatem tuã, ne Dei voluntatis implectio, vel boni operis exequutio, ſeu cœleſtis regni adeptio videatur eſſe Dei tãtum, vel hominis tm̃. Si.n. dixiſſet: Facias voluntatem tuam, videretur eſſe totum Dei, quòd bonum faciamus, vel quòd cœleſte Regnum conſequamur. Si autem dixiſſet: Faciamus voluntatem tuam, videretur eſſe totum liberi arbitrij, & vtrumque eſt falſum; quia licet creauerit nos, non cooperantibus nobis: noſtram vero iuſtificationem, & ſalutem non operatur, niſi nobis volentibus, & conuertentibus ad ipſum. Vnde Auguſt. de verbis Apoſt. dicit: Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. Eſt ergo ſenſus verbi: *Fiat voluntas tua* in terra, ſicut iam facta eſt in Cœlo per gratiam tuam, ſed iuncto noſtro libero arbitrio, quia in adultis vnum iſtorũ ſine alio nõ ſufficit ad ſalutem conſequendam propter quod ſuper illo verbo Hiere. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; dicit Gloſſa: Conuerte nos ad te Deus per gratiam, & conuertemur, quã tum in nobis eſt, noſtræ libertatis arbitrio. Auguſt. in libro de ſermone Domini dicit: Ideo dictum eſt: *Fiat voluntas tua*, & non facias voluntatem tuã, quia nos non facimus noſtris orationibus, quòd Deus velit, neq; facimus, ipſum velle, cũ eius velle ſit immutabile, ſicut eius ſubſtantia: ſed *Fiat voluntas*

Aug. in lib. ſermonum de verbis Apoſt. ſer. 15. to. 9.

Glo. ſuper illud Thre. 4.

Aug. de ſer mo. dñi in mon. to. 4. lib. 1. c. 11.

tas tua, quæ in illis fit, qui faciunt quod Deus vult, & secundum voluntatem eius.

Hanc Oranionem Dominicam, & pro fidelibus, & pro infidelibus faciendam esse dicendum est.

AD tertiam dubitationē dicendum, quòd secundum Chysost. Saluator noster hanc orationem pro toto orbe terrarum cuilibet modum iniunxit: Ideo non dixit; *Fiat voluntas tua* in me, vel in aliquo alio, vel in aliquibus fidelibus solum, sed vbiq; terrarum, vt saluetur veritas: & error, & malitia expellantur, & reuertatur Virtus, & in illius cultu Cœlum à terra non differat. Vult ergo Chrysost. dicere, quòd hanc orationem iniunxit Christus fieri pro fidelibus, & infidelibus, ideo non dixit: *Fiat voluntas tua* solum in nobis fidelibus, sed in Cœlo, & in terra, ac si diceret: Fiat per gratiam tuam, vt infideles, qui nomine terræ nuncupantur, conuertantur ad fidem, & faciant voluntatē tuam, sicut fit in Cœlo. i. in ipsis Fidelibus. ita vt iam non differat Cœlum à Terra. Et in hoc secūdum Augustinum destruitur Pelagianorum error dicentium per solum liberum arbitrium posse nos consequi fidem, & alia dona spiritualia quantum ad eorum initium, licet quantum ad eorum perfectionē indigeamus diuino adiutorio, & gratia Christi. quod tunc frustra esset, nec necessarium orare pro infidelibus, vt fidem habere incipiant, ex quo per se, & solo libero arbitrio initium fidei habere possunt.

Chrys. ho. 20. in Matth. to. 2. Et to. 4. homi. 6. in Epist. ad Timot. c. 2.

Aug. cont. Pelagian. to. 2. cp. 89

Quisq; voluntate rationali, non naturali ex præcepto tenetur velle, quod Deus vult, etiam pœnam inferni à Deo volitam, sibiq; reuelatam.

AD quartam dicendum, quòd Augustinus in diuersis locis diuersimode loquitur de ista dubitatione: Nam super Verbo psal. Non adhæsit mihi cor prauum, dicit, quòd cor prauum, & distortum est illud, quod nō vult illud, quod Deus vult. Item Augustinus super illo Verbo Iacobi 4. Si Dominus voluerit, ibimus; & lucrum faciemus; dicit, quòd omne velle nostrū sub diuino debemus sub-

Aug. diuersis in locis, & super illud Ps. 100 to. 8.

Idem super illud Iac. 4

subterponere. Sed contrarium istius Augustinus videtur dicere in Enchiridion. Vbi ait: Bona voluntate potest homo aliquando velle, quod Deus non vult; sicut bonus filius bona voluntate vult Patrem suum non mori, quem tamen Deus vult mori. Pro quo sciendum secundum Damascenum in 2. libro, quòd duplex est voluntas in nobis: Vna naturalis, quæ naturali motu fertur in illa, quæ sunt vitæ cõseruatiua, & naturali motu diligit ea, quæ sunt suæ vitæ productiua, vel conseruatiua, vel promotiua, & vicina, & naturali motu fugit ea, quæ sunt his contraria. Et ideo quia Auctor naturæ non facit contra naturam, tali bona voluntate naturali potest velle quis, quod de sua bona voluntate Deus non vult, sicut iam dictũ est per Augustinũ, quòd qui bona voluntate naturali, & bona naturali dilectione, & affectione, vt bonus filius, vellet patrẽ suũ viuere, quẽ Deus bona voluntate vellet mori, neq; demeretur bonus filius volendo tali volũtate, quod Deus nõ vult, quia in his, quæ sunt à natura, neq; meremur, neq; demeremur. Alia est volũtas in nobis deliberata, quæ vult bonum apprehensum per rationem in ordinem ad finem consideratis debitis medijs, & circumstantijs, quæ voluntas est oppositorum, & eorum, quæ non sunt à natura partæ, vel eorum quæ sunt à natura partæ indifferenter, & est respectu eorum, quæ possumus velle, & nolle, secundum quæ meremur, & non meremur. Et tali voluntate deliberata & electiua, si alicui notum esset, quòd Deus vellet aliquid, teneretur illud velle, quia ex quo illud nollet, quod sibi notum esset, Deum velle deliberatè, resisteret Deo, & faceret contra Deum, & contra voluntatem suam, & deliberaret se auertere à Dei voluntate, in quo formaliter cõsistit omne peccatum. Vnde tali voluntate, quando alicui esset notum, quòd Deus vellet Patrem eius mori, teneretur velle illud. Et quãuis non teneatur gaudere, tenetur tamen non contristari contra rationem immoderatè, nisi tantum tristitia naturali, quæ necessario inclinat ad tristitiam pro morte Patris. Sed hic oritur aliud dubium. Si mihi esset notum Deum velle me damnari, nun

Aug. in Enchirid. to. 3. c. 101.

Damasc. 2. lib. cap. 25. 26 & 27.

Dubitatio.

quid

quid teneor velle meam damnationē? Ad hoc dicunt Theologi, quòd hic casus est impossibilis, & ideo non admittendus, quia impossibile est quòd Deus alicui reuelet damnationem suam in via, quia tunc poneret eum extra viam, & esset causa suæ desperationis. Et si aliquis diceret sibi reuelatum, vel alteri, potius debet credere esse Diaboli illusionem, quàm Dei reuelationem. Et si dicatur, quòd Deus reuelauit Francisco damnationem fratris Heliæ, dicendum, quòd non determinatè, & absolutè, sed conditionatè, vnde postea est saluatus. Sed dato, & non concesso, quòd esset sibi notum, quòd Deus vellet eum damnare, nunquid tenetur hoc velle? Dicendum secundum alios Doctores, quòd cum Deus sit iustus, & non damnet aliquem ad æternam pœnam, nisi culpa præcedente; illam culpam, quæ est Dei offensa, voluntate electiua nunquam debet homo velle, quia Deus culpam non vult, nisi permissiue, & nisi nostra voluntas consentiat peccato. Sed an pœnam Inferni teneatur velle? Dicendum, quòd non tenetur velle voluntate naturali, quia, secundum * Augustinum, quilibet naturaliter vult beatitudinem, & naturaliter refugit miseriam; sed voluntate electiua, & rationali puto, quòd si notum esset homini Deum velle malum pœnæ sibi inesse, teneretur illam pœnam velle, quia tali malo pœnæ correspōderet bonum vniuersi, seu bonum commune, quod præponendum est bono particulari, & sic Christus voluit pœnam suæ crudelis passionis sine sua culpa propter bonum vniuersi, quia sua* morte mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit.

Responsio.

Huius Heliæ consuetudinē ob eiusmodi reuelationem euitabat Francisc. qđ vbi Helias precibus à Frā cisco extorsit, eū, pœnitens, multisq; lachrimis orauit, quatenus eius orone à dānatione liberare tur eterna, quod & factū est, vt hř in Chronicis fratrū Minorum.

*Aug. 12. de Trin. c. 3. to. 3.

*Greg. in p fatione, q in missa Resurrectionis recitatur.

Homo tenetur velle ex charitate actuali, vel habituali, vel saltem modo non contrario, quod Deus vult.

D quintam dubitationem dicendum, quòd voluntas nostra post peccatum est infirma, & lāguida, & est obliqua, & distorta, & deformis, & turpis: & ideo vt rectificetur, oportet, vt reguletur à voluntate recta, & iusta, quæ sola est Dei voluntas. Et

ideo conformando se voluntati diuinæ efficitur iusta, & sana, & reformata, & pulchra; sed quando ab illa se diuertit, semper remanet deformis, & turpis, & iniusta; vnde dicit Aug. de Trini. tomo. 3. Augustinus quòd magna miseria est hominis velle sine eo esse, sine quo non potest esse.

Dico ergo ad dubitationem: Modus eligendi nostræ voluntatis aliquando habet conformitatem in volito; & contrarietatem in modo volendi, vt si Deus vult me, dare elee mosynam, & ego etiam volo dare; hoc est idem volitum; tamen Deus vult me dare propter gloriam suam, & ideo si ego do propter vanã gloriam, contrarietas est in modo volendi. Quandoque autem, licet non habeat cõformitatem; tamen non habet contrarietatem, vt si Deus vult me ex charitate subuenire, non tamen facio, sed ex quadam naturali pietate, & carnalitate; tunc licet nollem sicut Deus vult, tamen nolo contra modum volendi Dei. quia, secundum Gregorium, Multi diligunt alios propter affectum cognationis carnis, cui tamen dilectioni sacra eloquia non contradicunt. Tenetur ergo semper homo velle, quod Deus vult ex charitate actuali, vel habituali: quod pro tanto dicitur, quia cum homo peccat venialiter, vult sicut Deus vult ex charitate habituali, quamuis non actuali, vel saltem tenetur non velle modo cõtrario, eo q; eo ipso, quòd vellet modo contrario, vellet contra charitatem, & peccaret mortaliter, & sic non faceret voluntatem Dei, sed suam.

Greg. Homil. 27. to. 2

QVARTA PETITIO

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

IN hac parte docet Saluator formare petitionem quartam. Ad cuius euidentiã sciendum, quòd Auguſt. in Enchirid. dicit: Illa, quæ petuntur in tribus primis petitionibus, ſunt bona æterna, & ſpiritualia. Nam nomen Dei ſanctificari: Eius regnum in nobis aduenire: Ipſius voluntatem in nobis fieri ſicut in Cœlo, ideſt, in Angelis, aliquo modo in hac vita poſſunt in nobis inchoari, ſed perfecte poſſidebuntur in alia vita. Alia vero, quæ ſequuntur in quatuor alijs petitionibus, temporalia ſunt, quæ tamen pro æternis conſequendis ſunt neceſſaria. Nam panem noſtrum nobis dari, Debita noſtra nobis dimitti, In tentationes non induci, Et ab omni malo liberari, nullus dubitat, vt dicit Auguſt. ad præſentis vitæ indigentiam pertinere. Vnde immediate poſtquàm Saluator dixerat: *Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra*. quia hominibus loquebatur in terra carne indutis, & non petentibus eandem impaſſibilitatem habere cum Angelis, condeſcendit infirmitati noſtræ, quæ neceſſario indiget potu, & cibo dicente: *Panem noſtrum ſuper ſubſtantialem*, ideſt, ſubſtẽtationem humanæ naturæ, vel quotidianum, vt ponit Lucas. Solum enim pro pane, non pro pecunia, vel laſciuia iuſſit orationem fieri: neque hoc ſufficit, vt dicit Chryſoſt. ſed appoſuit: *Da nobis hodie*, vt non conteramus nos ipſos ſolicitudine ſuperuenientis diei. Panem ergo corporalem petimus, in quo omnia neceſſaria vitæ intelliguntur ſecundum Chryſoſt. Secundum vero Cyprianum in libro de oratione, Panis noſter Chriſtus eſt, qui dicit: Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi, qui non eſt omnium, ſed noſtrum. i. fidelium, & iuſtorum; quẽ quotidie poſtulare debemus, ne nos, qui Sacramẽtũ Euchariſtiæ

Aug. in Enchir. to. 3. cap. 115. & 116.

Chryſ. Ho. 20. in Matth. to. 2.

S. Cypr. de orat. Dñica. fer. 6.

Ioan. 6.

stiæ quotidie accipimus, interueniẽte aliquo graui peccato, à cœlesti pãe prohibeamur, & à Christi corpore separemur.

Aug. de ser. dñi. to. 4. lib. 2. ca. 12. f.

Secundum etiam Augustinum in lib. de ser. Domini, Panem, quem quotidie petimus nobis dari, spiritualem panem intelligere debemus .i. sacram scripturam, & manda ta diuina, quæ quotidie oportet meditari, de quo pane dicit Christus in Euangelio: Non in solo pane viuit homo,

Matth. 4.

Ioan. 6.

sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei; & in alio loco dicit Christus: Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Verũ hic oriuntur quinque dubitationes pro declaratione.

1. Vtrum sit licitum quotidie petere panẽ corporalem.
2. Vtrum liceat quotidie petere panem sacramẽtalem.
3. Vtrum liceat quotidie petere panem spiritualem.
4. Vtrum sit licitum petere pecuniam.
5. Vtrum Sancti, qui sunt in Patria, debeant dicere hãc orationem.

Panem temporalem quotidie, quinque vitijs amotis, quisque orando postulare potest.

AD primã est dicendũ, q; in acquisitione, vel petitione tẽporaliũ quinque modis potest esse peccatũ. Primo, quantũ ad immoderatum desideriũ. Multi namque immoderatè desiderant vestimenta, vel cibaria vltra conditionem personæ, vel statum ipsorum, vel nimis delicata, vel multum pretiosa, & diuersa, vel nimis exquisita, & indecentia. Hũc defectum, vel immoderatum desiderium remouet Saluator per hoc, quod dicit *Panem*, vt nomine panis solum necessaria in victu, & vestitu intelligantur, ut dicit Augustinus ad Probam, secundum quòd dicit Apostolus ad Ti-

August. ad Prob. to. 2. c. 11.

motheum 1. c. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus. Et signanter nomine panis necessaria

1. Tim. 6.

Eccli. 29.

uitæ hominis intelligũtur, quia, ut dicit Scriptura: Initium uitæ hominis panis, & aqua.

Secundo, potest esse peccatum, quãtum ad inordinatum vel iniustum dominium. Multi enim molestant, & defraudãt

dant aliorum iura, & rapiunt aliorum bona, vt benè sit eis in temporalibus, sicut Tyranni, & Prædones, Vsurarij, & alij possidentes non sua. Hunc defectum remouet cum dicit: *Nostrum*. Secundum Chrys. hic duo sunt genera hominum, qui comendunt panem non suum, sed alienum. Primò illi, qui indigentibus non præstant, quem ipsi à Deo recipiunt non solum pro se, sed & pro alijs dispensandum. Secundò illi, qui cum peccato panem acquirunt, vt rapina, & vsura, panem suum non manducant, sed alienum. Chrysost.

Tertio, potest committi peccatum quantum ad inordinatum conuiuium. Multi enim inordinate, & superflue sumunt alimenta non sine infirmitate animæ, & corporis, quia in multis escis erit infirmitas. Eccli. 36. Frequenter enim tales sunt Podagrici, & Guttosi: hunc defectum remouet Dominus cum dicit: *Quotidianum*. Si enim, vt dicit Cyprianus, tantum comedes, & expendes vna die, quòd xx. diebus sufficeret, iam non panem quotidianum manducas. Eccli. 36. S. Cyprianus.

Quarto, potest committi peccatum, quantum ad ingratitudinis vitium. Multi enim sunt ingrati beneficiorum bonorum temporalium, quæ receperunt, cum sit, quòd Deus det escam omni carni. Hunc defectum remouet, dum dicit: *Nobis*, vt scilicet à te cognoscamus. hac enim de causa Salomon non petijt abundantiam diuitiarum, ne ingratus cogeretur negare nomen Dei sui. Psa. 135. Prouerb. 30.

Quinto, potest committi peccatum, quantum ad Sollicitudinis dispendium. Magnum enim detrimentum incurrit homo, ex nimia sollicitudine, & superflua cura rerum temporalium, prouidentiam nanque rerum temporalium necessariarum licitum est habere, sed superfluam curam non. Hunc defectum remouet dicens: *Hodie*. non enim, vt dicit Chrysost. debemus nos ipsos occupare, & conterere Sollicitudine superuenientis diei, sed solum pro die hodierna cura & sollicitudo est habenda. Remotis ergo istis quinq; defectibus, vt puta immoderato desiderio, iniusto dominio, inordinato conuiuio, ingratitudinis vitio, & sollicitudinis dispendio, licitum est, quamdiu sumus in hac vita, panem Chrys. ho. 20. in Matth. to. 2.

nem petere temporalem.

Panem sacramentalem quotidie quisque postulare potest, licet non omni die ipsum realiter sumere, & manducare, sed tamen quotidie spiritualiter recipere teneamur.

Aug. de serm. dom. tom. 4. lib. 2. ca. 12. E

AD secundam dubitationem dicendum, quòd Augustinus in libro de sermone Domini, hanc dubitationem mouens, dicit: Multi sunt, qui quotidie panem sacramentalem non recipiunt, qui iudicandi non sunt, vtrum benè, vel malè agant, quia non solum Laici, qui solum semel in anno hunc panem sumere tenentur, verum etiam Sacerdotes, & Clerici quotidie communionem Domini recipientes non laudantur, neque vituperantur, vt habetur de consecrat. dist. 2. c. Quotidie. Si autē per orationē hanc, illū panē sumere quotidie volumus, quia quotidie petimus ipsū nobis dari: vel semel in āno, vel bis receptus, semel, vel bis hanc orationem debemus dicere, quorum vtrumque videtur conueniens; Ad hoc Augustinus respondet dupliciter. Primo, vt quotidie, vel hodie intelligatur quamdiu viuimus: Et verum est, quòd quamdiu viuimus, non tamen omni die.

Notandū.

De consd. 2. ca. Quotidie. & habetur ex Augustin. de Eccl. dog. c. 53. vbi ait: Quotidie Eucharistiam percipere nec laudo nec reprehendo.

Alio modo respondet, quòd licet sacramentum sub illis speciebus non teneamur quotidie, vel omni die recipere, & manducare realiter: spiritualiter tamen tenemur omni die recipere, & manducare in sacrificio Missæ. Et ideo omni die debemus petere à Deo Patre nobis dari, & mitti in illo sacrificio, vt spiritualiter illum manducare possimus, de qua manducatione dicit Augustinus. Vt quid paras ventrem? Vt quid paras dentem? Crede, & manducasti: Nam spiritualiter hūc panem recipere nihil aliud est, quàm ipsi Christo incorporari per fidem, & charitatem. Credere ergo in Christo per fidem charitate informatam est ipsum spiritualiter manducare, quod quotidie faciendum est, maximè dum in missa consecratur, & adoratur.

Aug. de serm. dom. tom. 4. lib. 2. cap. 12.

Aug. tract. 25. in Io. tom. 9.

* Manducare spiritualiter panē sacramētalem quomodo intelligatur.

Panem

Panem spiritualem, Dei scilicet verbum quotidie petere debemus ob subleuationem ab omni errore, ob sanationem, fortificationem, & satietatem.

AD tertiam dicendū secundum Augustinum, quòd omni die indigemus panem spiritualem petere, quia sine hoc pane in vita spirituali conseruari nō possumus. Facit autem in nobis hic panis ideſt verbum Dei, ideſt contemplatio sacræ scripturæ quatuor. Primò subleuat nos ab omni errore. Verba enim humana & scientia humana est plena multis erroribus, quia semper diminutæ fuerunt veritates à filijs hominum, sed verba Dei ab omnis erroris contagione sunt remota. Psalm. dicit: Principium verborū tuorū veritas. Secundò sanat nos ab omni languore. Psal. dicit: Misit Dominus verbum suum, & sanauit eos scilicet ab omni peccato docens nos viam virtutis. Augusti. de serm. dom. in monte tomo. 4. c. 12. psal. 11. psal. 118. psal. 106.

Tertiò fortificat in omni vigore, quia in fortitudine istius Panis oportet nos ire per desertum istum ad montem, qui Christus est. panis enim humanæ sapientiæ & eloquentiæ potius hominē debilitat, quàm fortificet ad vitam æternam consequendam, de quo pane dicitur de Paulo: Cum acepisset cibum confortatus est. Et in psalmo: Panis cor hominis confirmet. Act. 9. psal. 103.

Quartò satiat nos omni sapore, quia habet in se omne delectamentum & omnis saporis suauitatem, quam gustando Petrus dixit: Domine ad quem ibimus? Tu enim habes verba vitæ æternæ. Ioan. 6.

Pecuniam in oratione petere fas est, non propter se: verum quatenus nobis adiumento pro beatitudine consequenda esse potest, si per eam bona opera faciamus.

AD quartam dubitationem est dicendum secundum Augustinus in lib. de Disciplina Christiana: Pecunia à pecore dicta est: quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant: & ideo quod possidebant homines in terra, siue in seruis, siue in agris, siue in animalibus pecunia vocatur, & huius ratione assignat Phil. in lib. Polit. Augustu. lib. de disciplina Christiana tomo nono. 19. B

Phūs lib. Polit 1. c. 6. Polit. dicens: Cū sint multæ Cōmunitates, sicut Domus, Ciuitates, Regna, & Prouinciæ, si nō esset cōmunitas Domus, in qua præest Paterfamilias, nō fuisset necessaria fabricatio pecuniæ, & inuētio denariorū, qa nullus proprie emit, & vē dit aliquid sibiipsi. Propter quod in principio generis humani fuit sola prima cōmunitas Domus, & tūc pecunia necessaria erat: sed postmodū incipiens genus humanum multiplicari, institutis alijs cōmunitatibus Ciuitatum Prouinciarium, & Regnorum, cum aliquid possit inueniri in vna Prouincia & Ciuitate, quod non inuenitur in alia propter alium aspectum siderum, vel dispositionem Patriæ, vt omnibus possint in talibus sibi subuenire, & communicationes de talibus rebus ad inuicem facere per emptionē, & venditionem, necessarium fuit pecuniam fabricare, & Denarios formare, quia Denarius secundum Philosophum est quidam fideiussor hominis, eo q de omnibus rebus sibi fideiubet, & per eum homo potest omnia necessaria vitæ inuenire. Cum igitur nomine pecuniæ intelligantur omnia bona temporalia, non debemus illa petere propter se, vt in illis spem ponamus, sed ipsa tanquam quædam organa, & instrumenta, quibus indigemus, vt ad beatitudinem perueniamus facientes proximis opera misericordiæ, & liberaliter dispensantes. Et secundum hunc modum licitum est in oratione pecuniam petere; Nam secundum Augustinum ad Probam hoc licet orare quod licet concupiscere. si ergo aliquis orat, vt Deus det sibi diuitias multas, & quòd det sibi honores seculi, & potentatus, non tamen vt prosint sibi, & proximis ad fælicitatem cōsequendam, non licet talia in oratione petere. na m isto modo non licet concupiscere, quia talia solent esse impeditiua salutis; & ideò ista in hac oratione non continentur; sed si quis petit talia bona, ut per ea peruenire possit ad vitam æternam, & quod eis uti possit ad salutem proximorum, & augmentum spiritualiū bonorum, licitum esset ei ista tunc petere. quia secundum hunc modum licet cōcupiscere, & continentur in hac oratione Dñica, vt ista nomine panis intelligātur sēm Aug.

Phūs. 5. Ethic. cap. 5. tom. 3.

Auguſt. ad Probā. to. 2. cap. 4. & 12.

Sancti

Sancti, qui sunt in Cœlo, oratione Dominica non indigent, licet pro nobis orantes mereantur nobis nostras orationes offerentes, bonaque spiritualia, ac temporalia nobis impetrantes.

D quintam dicendum, quòd pro tanto ista quæstio dubia videtur, quia quæ petuntur in tribus primis petitionibus scilicet Nomen Dei sanctificari: Regnum eius aduenire: & Dei voluntatem adimpleri, Sancti, qui sunt in Patria, iam perfectè adepti sunt; illa verò, quæ in his alijs quatuor petitionibus petuntur, non videntur eis satis necessaria. Et ideo dicendum, quòd pro eis non est necessarium; vt hanc orationem dicant, sed bene pro nobis orantes merentur nobis, cum oratio ex charitate facta sit meritoria, & satisfactoria: sed planum est, quòd Sancti, qui sunt in Patria, possunt hanc orationem dicere dupliciter.

Primò nostras orationes Deo offerendo nō sibi aliquod ignotum manifestando, sed ordinem diuinæ sapientiæ implendo, inferiora per superiora veluti in ipsum reducendo. Vnde Raphael dixit Thobiæ: Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. Thob. 12.

Secundò bona spiritualia, & temporalia nobis impetrando. quamuis enim sancti in Patria non sint in statu merendi sibi, vel nobis, quia iam sunt in termino; tamen sunt in statu impetrandi nobis bona, quæ petuntur per orationem Dominicam propter illa opera meritoria, quæ fecerunt, dum viuerent in hoc mundo. Sicut aliquis seruus Regis, qui est in eius gratia, orans pro alio impetrat ei gratiam à Rege. Vnde legitur secundo Reg. quòd Dauid Rex exaudiuit preces Berzelai petentis pro suo filio, dicens: Quidquid petieris, impetrabis. 2. Reg.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

SAluator noster hic docet formare petitionē quintam. Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd secundum Augustinum in quadam Epistola ad Innocentiū Papam, & Pelagiani Hæretici sic erant gratiæ Christi inimici, vt suis impijs, & prauis disputationibus conarentur asserere hominem in hac vita cognitis Dei præceptis ad tā tam perfectionem iustitiæ sine adiutorio gratiæ Christi per solum voluntatis arbitrium posse peruenire, vt eis non sit necessarium orare pro aliqua gratia acquirenda, nec dicere: *Dimitte nobis debita nostra*. Et sic hanc orationem Dominicam nobis auferebant, cum ostenderent illam homini non esse necessariam. Quod si quis dicat de quolibet sancto viro sciente voluntatem Dei, & faciente, non fuisse sibi gratiam Dei necessariam, & propter hoc orare; multum errat præter vnum Sanctum sanctorum, Christum, in quo fuit omnis plenitudo gratiæ. Ideo Augustinus in lib. 3. de Baptismo Paruulorū dicit: Omnes indigemus orare, & dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, quæ debita nobis pater cœlestis dimittit non per virtutem nostri liberi arbitrij, sed per gratiā, quia, vt dicit Apostolus: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, ideſt, per auxilium gratiæ, & misericordiæ suæ. tamen benè verum est, quòd initium gratiæ est ex nobis. Et qualiter initium gratiæ, quo nobis debita dimittuntur, sit ex nobis, Augustinus manifestat in principio libri de correptione, & gratia dicens: Desiderare auxilium gratiæ initium est gratiæ, de quo nunc scriptum est: Ecce nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi. Ideo debemus nostro libero arbitrio desiderare, & orare, & petere au-

Aug. ad Innoc. Papā. epist. 92. to. 2.

Aug. lib. 3. de Baptiſ. Paruul. c. 13. to. 7.

Rom. 9.

Aug. lib. de corrept. & gratia. in princ. c. 1. to. 7.

re auxilium gratiæ Dei, qui nobis debita nostra dimittat, & ipse ex sola sua misericordia nobis gratiam præstet dimittendo debita nostra. quia sine Dei gratia nullum peccatum remittitur. Ita tamen quòd & nos dimittamus debita nostra debitoribus nostris. Super quo verbo dicit Cyprianus quòd Dei filius, qui docuit nos orare, paternam misericordiam repromisit, sed tamen addidit nobis legem certa conditione, nos restringens, vt sic nobis debita dimitti postulemus, secundum quòd ipsi nostris debitoribus dimittimus. Sed hic possunt sex dubitationes oriri. S. Cypr. ser mo. 6. in orat. Dom.

1. Vtrum omnia peccata sint debita, quæ nos Dei debitores constituant.

2. Vtrum Christus orans indiguerit dicere: Dimitte nobis debita nostra.

3. Vtrum beata Maria indiguerit dicere: Dimitte nobis debita nostra.

4. Vtrum ista petitio in petente adimpleatur.

5. Vtrum solum dicēs: Dimitte nobis debita nostra consequatur remissionem.

6. Vtrum non intendens dimittere debitoribus suis debeat dicere hanc orationem.

Omnia peccata mortalia, & venialia constituunt nos Dei debitores: sed non eodem modo.

AD primam dubitationem secundum Augustinum dicendum est, quòd debitum proprie est illud, quo homo obligatur, & tenetur alteri auferendo de iure suo, vt si abstuli tibi possessionem, debitum est, in quo teneor tibi. quia possessio, quam abstuli tibi, de iure erat tua, & non mea. nunc autem in hac vita ita est, quòd quidquid homo operatur, totum subiectum est voluntati diuinæ de iure. Ridiculum namque esset & in seruo, vt seruus est, esse aliquem effectum, qui non esset de iurisditione Domini, & maxime Creatoris sui. Cum ergo per peccata auertamus nos ipsos à voluntate Dei faciendo voluntatem nostram præferendo voluntatem nostram voluntati diuinæ, quia Aug. de ser mo. dñi lib. 2. c. 13. to. 4.

aliter homo non peccaret, quia solum auersio à Dei voluntate est ratio formalis in peccato. Planum est ergo, quòd peccando auferimus aliquid de iure diuino, immo totum ius diuinum, quod ipse habet super nos, eo quòd ipse est maior nobis, cum sit Creator, & Redemptor, & Dominus, in cuius voluntate cuncta sunt posita, & omnes creaturæ debent sibi seruire; sed cum nos peccando nõ facimus eius voluntatem, quantum est in nobis; subtrahimus nos ipsos ab eius subiectione, & iurisditione, & sic volumus esse maiores ipso, & supra ipsum, quod nunquam licitum est seruo subtrahere se à subiectione Domini sui, & esse supra ipsum. Quia ergo per omnia peccata saltẽ mortalia auferimus ius diuinum, & per ipsa debitores Dei constituimur, & obligamur, & tenemur Deo satisfacere illud, quod de iure suo accepimus; Dicendum est, quòd omnia peccata mortalia, & venialia nos debitores Deo constituunt, licet non secundũ eundem gradum, sicut non secundum eundem modum auferimus de iure diuino per vtrunque genus peccatorũ, quia per peccata mortalia ex toto præferimus volũtatem nostrã voluntati diuinæ, quod secus est de venialibus, per quæ nõ ex tanto feruore subijcimur sibi ex charitate propter affectionem temporalium, & ex corpore corruptibili aggrauãte animam. Omnia igitur ista peccata mortalia, & venialia, quibus quotidie peccamus, oramus in ista oratione nobis dimitti, eo quòd illa impediunt animam à consecutione beatitudinis.

Christus hac petitione non nisi pro nobis, membris suis, indiguit.

AD secundam dubitationem dicendum, Christum indiguisse dicere: *Dimitte nobis debita nostra* in sua oratione, dupliciter potest intelligi. Primo in persona suorum membrorum; & sic indiguit, quia cum sit caput omnium fidelium, & caput, & membra vnum sunt; Ideo oportet quòd sicut omnia peccata & debita suorũ membrorum dicit esse sua, sic pro debitis omnium oret. Vnde Augustinus super illo verbo: Deus Deus meus respice in me; & su-

Aug. super Ps. 21. to. 8. Ps. 24. to. 8

& super illo: Propitiaberis peccato meo, multum est enim: dicit, quòd ista vox est Christi in persona veteris hominis, & in persona suorum membrorum, quorum peccata dicit esse sua. Secundo hoc potest intelligi in persona sua propria, & sic planum est, quòd non indiguit dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, sed oēs homines indiguerunt præter ipsum, quia solus fuit sine peccato, & agnus innocēs, qui tollit peccata mūdi. Vnde Aug. in lib. de perfectione iustitiæ hominis, dicit: Quisquis dixerit, fuisse in hac vita, vel esse aliquem hominem, vel aliquos homines, excepto vno Mediatore Dei, & hominum, Christo, quibus non fuit necessaria peccatorum remissio, contrarius est diuinæ Scripturæ, quæ dicit: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & contradicit Apostolo Ioanni, qui dicit: Si dixerimus, quòd peccatum nō habemus, nosipsos seducimus, & veritas non est in nobis, quia non solum hoc de peccato originali intelligitur, sed etiam de peccatis actualibus propter pronitatem peccati, quæ est in membris nostris ex carnis concupiscentia relicta ex peccato primorum parentum, quæ non fuit in Christo, qui de Spiritu sancto est cōceptus, & de Virgine natus.

Aug. lib. de perfect. iustit. hominis circa fi nem libri.

Rom. 5.

1. Ioan. 1.

Maria semper Virgo & si hac petitione non indiguit; eam tamen frequentissime ab ipsa pronunciatam fuisse propter suam ipsius humilitatem, pie credendum est.

AD tertiam dicendum, quòd omnes sancti clamant, Beatam Virginem fuisse sine omni peccato mortali, & veniali, vt de mundissima matre mundissimus nasceretur filius secundum Augustinum, & Bernardum. Ab originali autē dato, quòd ipsum habuisset, vt multi Doctores dicunt, tamen ab illo fuit ante purgata, quàm nata. Vnde dicit Anselmus, quòd decens fuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi. Et Augustinus in lib. de natura, & gratia dicit: Cum de peccatis agitur, de Virgine Maria propter honorem Domini nullā prorsus volo facere quæstionem. Vnde enim scimus, quòd ei

Aug. & Bernardus. Anselm. lib. de cōceptu virginali c. 18. statim post. princ. Aug. lib. de nat & grā. c. 36. to. 7.

plus

plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem cõstat nullum peccatum habuisse. Cum igitur hic fiat quæstio de peccatis, cum dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*, puto quòd quamuis * ipsa nullum peccatum, & debitum habuisset, tamen frequentius Beata Virgo hanc orationem dicebat, quàm aliquis Sanctorum dicat, triplici ratione: Primò propter gratiarum actionem, eo quòd sic fuit munda, & sancta, vt nullum debitum haberet, quod indigeret sibi dimitti propter gratiam, quam à Deo fuerat consecuta, de qua Lucæ 1. dicit Angelus: Inuenisti gratiam apud Deum; & quia humilis, & grata fuit in gratiarum actione, & suæ humilitatis insinuatione pie credendum est hanc orationem sæpius dixisse.

Secundò propter aliorum absolutionem, quia dicitur: *Dimitte nobis*, in plurali in persona totius Ecclesiæ, & omnium fidelium, & quia ipsa erat præcipuum membrum Ecclesiæ tota plena gratia, & charitate erga Deum, & proximum: Ideo quod quamuis non indigeret dicere pro se: *Dimitte nobis*, dicebat pro alijs membris, & fidelibus Ecclesiæ, quibus erat necessaria talis remissio.

Tertiò propter sui filij deuotionem. Recordabatur enim Beata Virgo quòd hæc verba in oratione posita fuerant verba filij sui, quam Apostolos suos docuit: Vnde verba huius orationis sicut alia dicta, & facta filij sui Beata Virgo frequenter meditabatur, & reuoluebat in meditatione, & corde cum magna deuotione.

Petitio quinta semper impletur, & exauditur, dummodo in petente timor diuinæ iustitiæ, spes indulgentiæ, & contritio, sine peccati displicentia reperiantur.

AD quartam dicendum, secundum Augustinum, quòd vt in petente hæc petitio impleatur, tria sunt sibi necessaria.

Pri-

* Maria sẽ per Virgo nec veniale liter, nec mortaliter peccare potuerat, vt ét asserit Ægidius Rom. lib. 2. sent. d. 23. qõ. 1. ar. 1. Dictũ vero Chrysost. in 12. Matth. ho. 45. & 1 Io. 2. c. homil. 20 B. Virg. inani gloria affectã fuisse, intelligitur quã tũ ad id, qđ ab homine posset æstimari: vel refertur ad fratres eius, quos, vt idẽ Aug. Triũphus de potestate Eccles. q. 81. ar. 1. nemo põt excusare à peccato infidelitatis, nedũ vanagloria cũ, scriptũ sit Ioan. 7. Fẽs eius non credebant in eũ. Aug. itẽ dictum q. 73. vet. & no. test. B. Vir. in Christi morte dubitasse, intelligitur de dubitatione admirationis, & stuporis, vt ex eodem colligitur. Alphonsum de Castro cõt. hær. tit. Melchisedech. negat Qõ. vet. & no. test. esse Aug. cum in q. 106. ex Gen. 14. Melchisedech dicatur Spiritus sanctus in humana carne apparens. Quod Augustinus to. 6. hær. tamquam hæreticum damnat.

Primum est timor diuinæ iustitiæ, vt semper homo viuat in timore, de suis meritis, & operibus non confidens, sed humiliter diuinum auxilium postulet, & dicat: Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum. Et hunc timorem, & hanc humilitatem docet Saluator ostendens per hoc, quòd quemlibet hominem quemcunque iustum, & sanctum docuit dicere: *Dimitte nobis debita nostra*. Pſal. 6.

Secundum est iuxta Augustum spes indulgentiæ. multi enim desperantes, se ipsos tradiderunt in desideria cordis eorum, & tales non habent necesse dicere: *Dimitte nobis*, quia frustra petunt eis dimitti, qui credunt desperantes peccata sua nullo modo sibi dimittenda. Dixerunt enim aliqui Hæretici, quòd si post Baptismum homo peccaret, non consequebatur veniam: quod si hoc uerum esset, frustra post Baptismum diceremus: *Dimitte nobis debita nostra*, ex quo peccata amplius dimitti non possunt.

Tertium est contritio displicentiæ, quia oportet quòd debita, & peccata, quæ homo petit sibi dimitti, corde contrito sibi displiceant, & de eis habeant contritionem cum proposito confitendi, quia homini sic contrito statim peccatum remittitur iuxta illud Psal. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et tunc dico, quòd his tribus concurrentibus scilicet, Timore Iustitiæ, Spe indulgentiæ, & Contritione displicentiæ, non esse dubium, quin semper petenti hæc petitio impleatur, & à Deo exaudiatur. Pſal. 31.

Etsi aliquis proximo suo debitum non dimittens, remissionem à Deo non consequitur; hanc tamen quintam petitionem prætermittere non debet, cum pro Ecclesia vniuersa dicatur.

AD quintam dicendum, quòd Chrysostomus soluit hanc dubitationem super hunc locum dicens: Si quis petens, partem primam huius orationis diceret, & non diceret sequentem partem, quia non intendit dimittere debitoribus suis, remissionem nō consequeretur: quia talis intenderet Christum decipere, & crederet, quòd Chryſoſt.

Christus

Christus oblitus esset partis sequentis, & solum in memoria haberet partem præcedentem. Propter quod sicut intenderet decipere, ita & deciperetur. Sed dato, quòd dicat totam orationem, & non proponat dimittere debitoribus suis, dicit Chrysost. quòd talis mentiretur. ideo indulgentiam non consequeretur, quia talem indulgentiam quis cõsequuturus est à Deo, qualem fecit ipse proximo: sed ipse non remittendo debita proximi sui orat contra se ipsum, vt nec ipsi remittatur, & mendaciũ dicit in oratione, cũ dicit se remittere, & non remittit. Tamen quia hæc oratio in plurali dicitur pro tota Ecclesia, non propter hoc debet dimittere illam dicere. licet enim sibi non proficiat, tamen proficit Ecclesiæ.

Qui orationem Dominicam prætermittit, quia proximo suo non dimittit, maxima reprehensione non caret.

Chrysost. AD sextam dicendum, quòd Chrysost. in hoc passu soluens hanc quæstionem dicit, quòd multi stulti nolentes suis debitoribus dimittere fugiũt hanc Orationem, & nolunt ipsam dicere, quos dicit magna reprehensione dignos propter tria. Primò propter hoc, quia qui non sic orat, vt Christus docuit, non est Christi discipulus. Secundo, quia nec Pater audit orationem illam libenter, quam filius non dictauerit. Cognoscit enim Pater, vt ait Chrysost. filij sui sensus, & verba, neq; suscipit quod humana vsurpatio excogitauit, sed quæ sapientia Christi exposuit. Tertiò, quia non dicit hoc in persona sua, sed in persona Ecclesiæ, vt si ipse deciperetur, Ecclesia tamen non decipitur. Dimittere tamen debitoribus dupliciter potest intelligi. Primò, quòd offensus requirat illum, à quo offensus est, vt ei dimittat, & hoc est perfectorum. Secundo, vt petenti sibi dimitti, homo sit paratus dimittere: & hoc est præceptum omnibus commune.

SEXTA

SEXTA PETITIO

Et ne nos inducas in tentationem.

IN hac parte Saluator docet nos formare sextam petitionem. Ad cuius intelligentiam sciendum, quòd, sicut dicit Augustinus in libro de correptione, & gratia pertractans illud Apostoli: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; Vt si qua eorum dicta vel facta sint imperfecta, & exorbitantia, hæc etiam ipsa Deus cooperatur eis in bonũ, vt humiliores reddat, & prudentiores. Multi enim sunt, qui benè pœnitent de peccatis iam commissis, & petunt eis dimitti debita, & obtinet remissionem, quiã plorando, & flendo petunt, & quia ipsi debitoribus suis debita dimittunt secundum regulam à Christo datam, non tamen sunt cauti, & prudentes vt non iterato alia peccata committant. & ista est magna imprudentia, quia parum, vel nihil prodest homini oneribus grauato, vt ex vna parte à se onera abijciat, & ex alia parte onera maiora sibi accumulet. Volens ergo Saluator noster nos cautos reddere, ne post consecutam indulgentiam nostrorum debitorum, iterato in peccata labamur, docet nos ad Deum orare dicens: *Et ne nos inducas in tentationem*, ideſt vt non patiatur, nos à tentatione vinci. Nam ipse Deus per se ipsum non inducit in tentationem, quia vt dicit Iacobus, Neminem Deus tentat: sed induci in tentationem permittit illũ, quem suo auxilio deserit. Vnde secundum Augustinum non oramus per hanc orationem, vt non tentemur, quia hoc necessarium est, & vtile nobis; eoquòd sine oratione homo neque sibi, neque alteri potest esse probatus, & exercitatus: sed petimus, ne in tentationem inducamur, ideſt ne deserti diuino auxilio, alicui tentationi, vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti, vt Augustinus exponit ad Probam: Sicut, si oporteret aliquem igne examinari, non oraret, vt

Rom. 8.

De pæn. d. 2. c. Talib. ex Aug. lib. de correp. & grat. c. 9

Idẽ ait Ægidius 2. sen. d. 27. q. 2. dub. 1. latè rali; vbi affirmat, q Deus diligentibus ipsum omnia cooperatur in bonũ, & peccata mortalia.

Et hoc intelligẽ indirecte, nõ directe.

Iacob. 1.

Aug. de ser mo. dñi in monte to. 4 lib. 2. c. 14.

Idẽ ad Probam. to. 2. cap. 14.

non tangeretur, sed vt igne non combureretur. Sed hic possunt fieri quinque dubitationes.

1. Vtrum tentare sit idem, quod dubitare.
2. Vtrum Diabolus possit nos tentare non permissus à Deo.
3. Vtrum Diabolus semper loquatur Deo quando petit nos tentare.
4. Vtrum Diabolus semper per se ipsum tentet, vel aliquo mediante.
5. Vtrum, si Diabolus esset anihilatus, vel si in Inferno relegatus, verũ esset dicere, à Diabolo nos tentari.

Tentatio omnis in homine, ac Diabolo semper est dubitatio: in Deo autem nunquam.

Aug. to. 4. q. 99. vet. & noui testamen.

AD primam dicendum secundum Augustinum, q tentare idem est q de persona, quam quis tentat, dubitare, vnde exponens illud Apostoli: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana, ait: Tentatio ibi pro dubitatione posita est, quia tentatio est dubitatio: De homine dubitatio nos apprehendere debet, quia maledictus homo, qui confidit in homine: sed tentatio & dubitatio de Deo nos apprehendere non debet, quia sicut dubitare de homine saluberrimum est, ita dubitare de Deo perniciosum est.

1. Cor. 10.

Hic et Auctor de potest. Eccle. q. 67. art. 5. in 2. arg. & ad 2. ponit eadem verba, quæ hic posita sunt.

Possumus ergo dicere, quòd vel homo potest dubitare de hominis scientia, vel de hominis virtute, vel de hominis prudentia, fide, & charitatis constantia. Primo modo tentat Dialecticus; vnde vna pars Dialecticæ dicitur tentatio. Secundo modo tentat moralis Philosophus. Sed Tertio modo tentat diuinus Theologus. nam Deus tentat hominem, non vt discat, cum non sit in eo alicuius rei ignorantia, vel dubitatio; sed tentat, vt ipsum tentatum erudiat, & scientem faciat. Vnde Augustinus in lib. de sermone Domini exponens illud verbum: Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non. Vt palam fiat, positum est, pro eo quòd scire nos faciat, sicut

Tentatio Dialecticei. Tentatio Phil. mor. Tentatio Theologi. Tentatio Dei.

Aug. d ser. dom. to. 4. lib. 2. c. 14. & lib. 5. super Deut. 13. cod. t c.

sicut * lætus dies noster, eo quòd lætos nos faciat. Diabolus autem tentat dubitando an homo in fide, & charitate perseuerare velit, non tamen vt erudiat, sed vt seducat, & decipiat, & à bono proposito nos remoueat. Solus homo tentat, vt discat, quamuis malus homo possit tentare, vt decipiat, & in hoc conueniat cum Diabolo. Vnde glos. super illo verbo: Proba me Domine, & tenta me, dicit, quòd Deus tentat, non vt ipse dubitet, sed vt nos erudiat. Tentat homo, vt discat. Tentat Diabolus, vt seducat. Nam etsi caro tentat, vel mundus, quæ carent dubitatione, & cognitione: ex prima tamen tentatione, & dubitatione, dicit, talem tentationem secutam fuisse. Est ergo tentare idem, quod dubitare.

Apud Aug. loco supra citato legitur: Sciat. *Figura metonimia. Tentatio Diab. Psal. 25. Tentatio Dei.

Diabolo tentare hominem non liceret, nisi permissum esset à Deo, qui hoc permittit, vt homo maius meritum consequatur.

AD secundam dicendum, quòd Augustinus, & Chrys. hanc dubitationem determinant super illo verbo Matth. 8. Si eijcis nos, mitte nos in porcos, dicentes: Si aduersus porcos Dæmones non audent aliquid facere, nisi Deus concesserit, multo magis erga homines non possunt aliquid, nisi à Deo permittantur. Differt, vt dicit Augustinus in lib. de serm. Domini, in qualem tentationem quis incidat, quia in aliam tentationem *incidit* Iudas, qui Dominum tradidit, & in aliam Petrus, qui Dominum negauit. quia Iudæ tentatio fuit diabolica dolositas. Petri verò humana fragilitas. Sed quærit Augustinus: Cum Deus hominem pauperem, & debilem, & Dæmonem fortem, & potentem nouerit, & ad iustum iudicem non pertineat permittere debilem & pauperem à fortiori impugnari, & molestari, cur Deus hominem debilem, & pauperem à Diabolo potenti, & forti permittit impugnari? Ad quod respondet dupliciter, quia glorioſius est tentatum esse, & non consentire, quàm non posse tentari. Secundo quia sicut Deus præuidit per Diabolum hominem esse vincendum; Ita etiam præuidit per ho-

Aug. to. 9. in epist. Io. tract. 6. & alibi pluribus in locis Chrys. ho. 29. super Matth.

Aug. de ser. dñi. to. 4. li. 2. c. 14.

minem ipsum Diabolum esse superandum.

Diabolum enim Deo loqui locutione intellectuali, & corporali per interpositam creaturam, credendum est, cum hominem vult tentare. Sed quidquid veritatis & virtutis per intellectum Diaboli cogitatur, Deo attribuendum est: quidquid verò falsitatis, & praultatis Diabolo est assignandum.

Aug. d ser. dñi. tom. 4. lib. 2. c. 15.

AD tertiam dicendum, quòd Augustinus hanc quæstionem soluit in libro de sermone Domini dicens: Multi carnaliter intelligentes Deum locorum spatijs contineri, & alibi esse, & alibi non esse, & cum est in terra, non sit in Cœlo, per impossibile habet Deum potuisse Diabolo illi loqui, qui Iob tentauit, quia ille in terra erat; cum diceret: Circuiui terram, & perambulaui eam. Sed si carnaliter volunt intelligere Deum esse, intelligant, vt August. dicit. Similiter illud credunt carnaliter esse dictum: Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedū meorum; cur ergo diabolus (inquit) in terra existens non poterat cum Deo loqui, ex quo stabat ante pedes Dei; Quomodo terra est scabellum pedū Dei; Nullus autem est, qui stet ante pedes alicuius, qui non possit cum eo loqui. Sed secūdum veritatem credere debemus Dei maiestatē vbiq; præsentem, nō per partem diuisum & extensum, sed vbiq; totum, & perfectum, & sic Diabolū loqui cum eo, quando hominem vult tentare. Et quando Iob tentauit, potest dupliciter intelligi. Primo intellectualiter. Nam si Deus loquitur in anima cuiuslibet hominis non solum iusti, sed & peccatoris iuxta illud: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; multo fortius potest loqui in intellectu cuiuslibet Angeli boni, vel mali. Planum est enim, quòd Deus posuit in natura Angeli boni, vel mali intellectum. Quidquid ergo virtutis & veritatis cogitatur per intellectum diaboli, est attribuendum diuinæ locutioni. Et quicquid malitiæ, & prauitatis ab eo cogitatur per ipsum, sibi ipsi, & locutioni ipsius, à qua malitia dictus est diabolus, assignandum est. Illa vero cogitatio: Nunquid consideraſti seruū meum

Iob. 2.

Isa. 66.

Psal. 84.

Iob 7.

meum Iob, quòd non sit ei similis in terra? vir simplex, & rectus, ac timens Deum; dicitur fuisse Dei loquentis in intellectu diaboli, quia erat vera, & iusta illa cogitatio: Nun quid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamq; substantiam per circuitum? sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, ni in faciem benedixerit tibi, ideſt maledixerit, cum praua & peruersa fuerit, diabolo, & eius locutioni attribuenda est. Et sic vniuersaliter secundum Augustinum dicendum est de omnibus sanctis viris, quos diabolus vult tẽtare, quòd quicquid verum malignus spiritus de sanctis hominibus cogitat, quando eos tentare petit, Dei voce, & Dei locutione audisse perhibetur. Quicquid autem falsum, suæ malignitati attribuitur. Iob. 1.

Secundo potest intelligi, quòd Deus loquatur bonis, & malis Angelis corporaliter scilicet non in eorum cogitatione, sed per corporalem, & visibilem creaturam huic operi accõmodatam, sicut Dominus, & Creator omnium corporalium, & spiritualium, vt dicit Augustinus.

Diabolus tentat nos per seipsum non in propria natura apparens, cum hoc esse non possit: sed suggestione aliqua, vel aliqua alia re mediante, multis quidem modis.

AD quartam dicendum, quòd Diabolum per se ipsum nos posse tentare, tripliciter potest intelligi.

Primo visibiliter nobis in sua specie, & natura propria apparendo, vt sic nos tentet: & iste intellectus nõ est verus, quia cum diabolus sit spiritus inuisibilis, in sua natura à nobis videri non potest, cum obiectum oculi nostri sit res colorata corporea.

Secundo, quòd nobis visibiliter appareat in natura, & specie aliena: tamen venit taliter, quòd cognoscitur esse diabolus, sicut beato Antonio in deserto in varijs formis animalium apparebat, & sic per se ipsum dicitur tentare, quia se dicit diabolum tentatorem. & neque sic est verus intellectus, quia optime scit ipse diabolus humano generi

eius

eius nomen esse odiosum,& quòd eum tanquam inimicum mortalem reputamus. vnde statim cum se nobis manifestaret, bene scit,quòd ipsum repelleremus.

Tertio modo miscendo se nostræ carni,vel alteri naturæ nobis per se ipsam aliqua vitia proponit, & suggerit, de quibus nos tentat. Itaque dato, quòd caro nostra cesset nos molestare,diabolus tamen potest ipsam inflammare ad vitium, & carnis concupiscentiam,ita,vt tentationem non dicatur facere caro ex innata corruptione, quæ semper cõ-
Ad Gal. 5. cupiscit aduersus spiritum. Et isto modo verum est, diabolum per se ipsum nos tentare, sicut exemplum habemus de
Cyprianus primũ Magus, postea Martyr: cuius histor. legitur in offi. diuino & dies festus colitur 26. Sept. Greg.lib.2 Dialog.c.2 B.to.1. Sancto Cypriano, qui cum esset magus, & concupisceret Iustinam Virginem, misit diabolum ad illam inducendam in sui amorem ita quòd diabolus inflammauit valde carnẽ ad concupiscentiam S. Iustinæ, sed recurrens ad Christum signo Crucis illum fugauit. Recitat etiam Gregorius de S. Benedicto,quòd diabolus quadam die in specie Merulæ circa eius vultum frequenter volitare cœpit,ita vt manu eam potuisset capere,si voluisset:ipse tamen signo Crucis se muniens,Merula ipsa recessit, post cuius recessum tantam inflammationem in sua carne sensit,& ardorem,quantum vir sanctus nunquam fuerat expertus. Et speciem alicuius mulieris, quam Benedictus aliquando viderat, diabolus in mentem eius venire fecit, in quam ita exarsit, vt deliberaret desertum dimittere; sed gratia Dei præuentus inter spinas nudus se proiecit, & omnis illa tentatio recessit. Hoc modo diabolus per se ipsum tentat: & cum deficit caro tentare, quam homo spiritui subiugauerit, postmodum diabolus vel per speciem mulieris, vel per locutionem eius sub ratione cuiusdam boni in principio, ipse postmodum ad vitia mala trahit, & inducit. Tentat nos similiter mediante alio. quia mediante Mundo per rerum temporalium immoderatam affectionem, & quandoq; per Tyrannorum mundi persecutionem, & per Tyrannos nititur persequi pauperes, & viros sanctos, vt à virtute, & veritate recedant; & mediante carne, quia fortius caro tentat simul cũ dia-

diabolo, quàm sola sine ipso.

Diaboli omnes si essent anihilati, vel relegati in Inferno, adhuc ab ipso nos tentari posse dicendum esset, non per nouam impulsionem ad vitia, sed virtute primæ tentationis.

AD quintam dicendum, quòd vnus homo potest alium dupliciter offendere, primo priuando ipsum armis, & auferendo ab eo illa, quibus possit se defendere, ne ab alio læderetur. Secundo percutiendo ipsum, & figendo sibi vulnera, ex quibus infirmaretur, & forte moreretur; hic diabolus dupliciter nos offendit, primo armis, quibus eramus induti priuando & spoliando. tentando enim primum hominem, vincendo ipsum abstulit ab eo, & a nobis iustitiam originalem, qua eramus induti. quia neq; Mundus alliciendo, nec Caro rebellando poterat nos tentare, nec trahere ad aliquod illicitum cogitandum, vel operandum; ita quòd diabolus tentando, & vincendo primum Gen. 3. hominem nos omnes in persona ipsius tentauit, & vicit auferendo à nobis arma, quibus eramus induti; quibus ablatis, semper mundus, & caro nos tentat ad multa illicita opera. Secundo diabolus nos offendit per se ipsum ad diuersa vitia impellendo, & inducendo.

Cum ergo quæritur, posito quòd omnes dæmones essent in Inferno relegati, & anihilati, esset ne verum dicere: Diabolus nos tentat? Dicendum, quòd propter armorum priuationem, & expoliationem factam in primo homine esset verum, quia abstulit nobis illud, quo facto, & ablato patimur omnes tribulationes, & tentationes, quas quotidie experimur. Ita quòd vigor, & fortitudo illius primæ tentationis manet semper in omnibus tentationibus, & persecutionibus nostris. Ita quòd etiam si diabolus esset anihilatus, adhuc mundus, & caro nos tentaret, quod faciunt in virtute, & fortitudine primæ tentationis. Et ideo verum esset dicere adhuc nos tentari à diabolo. Sed non esset verũ dicere nos tentari à diabolo per nouam impulsionem ad alia vitia, & peccata, si omnes essent anihilati, vel in Infer

no re-

no relegati, quia ipse diabolus per se ipsum non posset nos tentare, & ad vitia impellere. Quia igitur propter primam diaboli tentationem semper à diabolo, & mundo, & carne tentamur, ideo Christus docuit nos orare: *Et ne nos inducas*.

SEPTIMA PETITIO

Sed libera nos à malo. Amen.

S. Cypria. lib. de ora.

Vltimo Saluator noster docet formare hanc septimam petitionem, quæ secundum Cyprianum in lib. de Oratione in fine posita est, quia vniuersas preces nostras collecta breuitate concludit, quando dicit: *Libera nos à malo*. Nam nil vltra remanet quod debeat postulari, cum simul Dei protectionem aduersum malum petamus, qua impetrata, contra omnia, quæ Diabolus, & mundus operantur, securi sumus, & tuti.

Aug. de ser. dñi. tom. 4. lib. 2. c. 16.

Secundum Augustinum fuit ista petitio necessaria; quia non solum est orandum, vt non in malum, quo caremus, incurramus; verum etiã est orandum, vt liberemur à malo, ad quod adducti sumus, & hoc siue sit infirmitas, siue aduersitas, siue afflictio, & persecutio aliqua; vnde dicit Augustinus ad Probam, quòd istud vltimum in hac oratione positum tam late patet, vt homo christianus in qualibet tribulatione constitutus in hoc gemat, in hoc lachrymas fundat, vt à malo liberetur. Et ideo in ea meritò oratio terminatur, & concluditur, cum dicitur: *Amen*. quod idẽ sonat, secundum Hieronymum ac si diceret, vere, & fideliter fiat, sicut petemus, quia secundum Augustinum in libro de sermone Do mini: ex omnibus his sententijs, quibus nos Dominus orare præcipit, illam potissimum commendandam esse iudicauit, quæ pertinet ad dimissionem peccatorum, in qua nos misericordes esse voluit, quod est vnum consi-

Idẽ ad Proba m. to. 2. c. 11.

Hier. to. 4. in Esa. c. 26 & alijs in locis.

Aug. de ser mo. dñi lib. 2. c. 18. to. 4.

consilium miseriæ euadendi, quia in nulla alia oratione sic oramus, quòd paciscamur cum Deo sicut cum dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, in qua si mentimur, perit totus orationis fructus, dicente Christo: Nisi dimiseritis hominibus peccata eorum, neque Pater meus cœlestis dimittet peccata vestra: si autem dimiseritis, dimittet vobis &c. & sic à Deo misericordiam cõsequemur, si illam proximo fecerimus, & sic à malis nostris Deo liberabimur. Sed hic oriri possũt quinq; dubitationes. Matt. 6.

1. Vtrum Omne malum à peccato nostro procedat?
2. Vtrum Deus semper liberet nos à malo?
3. Vtrum Deus quandoq; citius liberet nos peccatores à malo, quàm Iustos.
4. Vtrum sit orandũ, quòd Deus liberet hominem à mala morte?
5. Vtrum sit orandum, quòd Deus liberet nos à persecutionibus Tyrannorum?

Omnia mala, quæ nobis euenirent, a peccato nostro prouenire dicendum est.

AD primam dicendum, quòd malum priuatiuè opponitur bono, & ideo non est aliquod ens positiuum, sed est boni priuatio. Tripliciter autem in nobis est bonum, scilicet animæ, corporis, & fortunæ, & sic triplex erit malum, scilicet quando homo priuatur aliquo bono animæ, vel corporis, vel fortunæ, dicitur malum incurrere. Vnde infirmitas dicitur malum corporis, quia priuat hominem bono sanitatis. Hoc præsuppositio dico ad quæstionem, quòd circa hoc dubium multi fecerunt errores, nam aliqui dixerunt omne malum nostrum à Cœlo, & Planetis descendere: Sic Fatidici, & Astronomi. Aliqui à Fortuna, sicut Pagani dicebant illam Deam esse bona, vel mala nobis dantem. Aliqui à Diabolo, vt Manichæi. Sed veritas catholica est, quòd omne malum nostrum ex peccato procedit. Nam malum animæ, quod est priuatio virtutis, & iustitiæ, à peccato procedit. quia, vt dicit Anselmus, Error multorum. Veritas q̃siti.

Peccatum quid sit formaliter.

Peccatum formaliter nil aliud est, quàm priuatio iustitiæ debitæ. Malum etiam corporis, & fortunæ ex demerito peccati effectiuè à Deo procedit, quia omnis pœna ad punitionem culpæ ordinatur ex ordine diuinæ iustitiæ, apud quem ordinem sicut nullum bonum remanet irremuneratum; ita nullum peccatum impunitum. Igitur omnia mala, & flagella, quæ patimur, à peccato nostro proueniunt ex diuina iustitia. Vnde per Hieremiam Prophetam dicitur: Terra cum peccauerit mihi, hæc sunt iudicia mea pessima, Gladius, fames, & pestis. & per Ezechielem: Percute manum tuam, & allide pedem tuum & dic Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israel. quia gladio, peste, & fame ruituri sunt.

Hierem. 21.

Ezech. 6.

Deus semper malo nos liberat, cum id quatuor modis facere soleat.

AD secundam dicendum, quòd semper liberat nos Deus à malo, quatuor modis. Primo per malorum prohibitionem. prohibet enim Deus quandoq; ne superueniant nobis mala, quibus digni essemus secundum peccata nostra. Et quia Deus optime nouit fortitudinem, & debilitatem suorum fidelium; vnde sicut bonus Medicus suis infirmis, quos nouit fortes, & robustos dat fortes medicinas, & violentas: & eis, quos nonouit debiles, & fragiles solũ præparat lenitiuas; sic Deus medicus animarum, illis, quos nouit esse fortes, in eius amore aliquando fortiores tribulationes immittit. Vnde dicebat Apostolus: Nolumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quoniam supra modum grauati sumus, vt etiam nos tæderet viuere; Illis autem, quos nouit debiles, & fragiles, vel omnino prohibet, vt mala non superueniant, in quorum persona loquitur Iob: In sex tribulationibus liberaberis, & septima non tanget te; Vel saltem prohibet, ne tot, & tot superueniant, quot portare non possumus. quia pius, & fidelis est Deus noster, vt dicit Apost. qui non permittit nos tribulari supra id, quod possumus, sed semper ali quali pulsatione istius, vel illius angustiæ facit prouentum, & vi-

2. Cor. 1.

Iob 5.

1. Cor. 10.

& victoriam. Secundo, liberat nos à malo per eorum consolationem. quia nunquam Deus permittit nos sic tribulari & affligi, quin etiam postea consolationem non superimmittat, sicut nouit nobis expedire, vt risus noster dolore misceatur. Sic facit etiam, vt nostra tribulatio misceatur aliquo gaudio, quilibet nanque experitur in se, vt sicut cum dulcedine huius vitæ præsentis incipit experiri amaritudinem; sic semper cum amaritudine incipit experiri aliquam diuinam consolationem, in quorum persona dicebat Propheta: Secundum multitudinem dolorum meorum in cor de meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Pſal. 93.

Tertio nos Deus à malo liberat per eorum terminationem. dicit enim Aug. super illo verbo Iob: Nihil enim sunt dies mei: quia omnes dies vitæ nostræ sunt vnum momentum, & vnus cursus, qui antequam inciperent, nihil erant, & post quam terminabuntur, nihil erunt, sed dum durant: nihil aliud est, quàm instans momentaneum. quia de toto tempore vitæ nostræ non habemus nisi nunc instãs præsentis temporis, quod satis explicuit Apostolus, cum dixit: Id.n. quod in præsenti est momentaneum, & leue, tribulationis nostræ operatur in nobis æternæ gloriæ pondus. Quarto nos liberat Deus à malo per nostrã in bonum conuersionẽ. Omnia enim mala culpæ & pœnæ, quæ permitiit Deus suis fidelibus euenire, conuertit eis in bonum: quia ex illis malis elicit eorũ bona. quia à malis culpæ, in quibus permittit Deus suos fideles cadere, elicit eorum humilitatem, & magis, secundum Aug. placet Deo in malis factis mẽtis humiliatio, quàm in bonis superba elatio. In malis autem pœnæ elicit eorum patientiæ probitatẽ, & æterni supplicij euasionem. & ita semper Deus hanc orationem, seu petitionem exaudit, quia semper liberat nos à malo. Aug. super illud Iob 7. 2. Cor. 4. Aug. to. 8. in Pſal. 93.

Peccatores quandoque citius à malo liberantur, quàm iusti. Quod his, non ijs indicium prædestinationis esse, credendum est, si peccata deplorent, & patientiam seruent.

DE tertiam dicendum est, q̃ hanc dubitationem mouet Aug. in Epist. ad Probam, dicens: Per esse exau- Auguſt. ad Probam to 2. c. 14.

ditum apud Deum, vel in obtinendo bona, quæ desiderantur, vel in euitando mala, quæ patiuntur, non possunt co-
2. Cor. 12. gnosci iusti à peccatoribus: Nam petiuit Paulus liberari à
Exod. 16. tribulatione carnis, & nõ est exauditus. Petierũt filij Israel murmurando saturari carnibus in deserto, in eorum concupiscentia; & fuerunt exauditi. Petiuit diabolus malũ inferre
Iob 2. sancto viro Iob, & fuit exauditus. Petiuit vir sanctus ab illis pœnis liberari, & nequaquam exauditus est. Petierunt dæmones intrare in porcos, & admissæ sunt petitiones eorum. Multi sancti petunt à malis præsentis vitæ liberari, &
Augusst. ad Prob tom. 2. c. 14. nõ sunt exauditi. Et hanc causam assignat Aug. in ead. epi. dicens: Nos nescimus vtrum tribulationes huius mundi, & mala præsentis vitæ debeãt nobis prodesse, vel nocere: quia
Rom. 8. dicente Apost. Quid oremus, vel petamus, sicut oportet, ne scimus; tamen quia mala semper sunt cõtra sensum nostræ infirmitatis, & humanæ naturæ fragilitatem, semper vt à nobis auferantur, orare debemus, dicendo: *Sed libera nos à ma-*
Augusst. ad Prob. tom. 2. c. 14. *lo*. Hanc tamen deuotionem, dicit Aug. debemus seruare Domino nostro Iesu Christo, vt si ea à nobis non abstulerit, non ideo ab eo negligi extimemus, sed potius pia patientia malorum, quæ patimur, ampliora bona sperare consequi, & maiora supplicia euitare. Vnde in lib. 2. Machabæorum, postquã narratæ sunt tribulationes, & persecutiones,
Machab. lib. 2. c. 6. quas passi fuerant illi sancti Machabæi ab illo Tyranno Antiocho Rege, hæc verba leguntur: Obsecro eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter aduersos casus, sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correctionẽ generis nostri. & subdit causam, dicens: Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones exhibere, magni beneficii est indicium. Ex quo dicto manifeste cõcluditur, quòd persecutiones mundi statim post perpetrationem peccatorum fidelibus Christi euenire, est signum prædestinationis, si in eis patientiam seruant, & peccata illa recognoscunt, pœnitendo de eis.

Libe-

Liberationem malę mortis animę, non corporis petendam eſſe, affirmandum eſt.

AD quartam dicendum, q. Aug. in lib. de diſciplina chriſt. quærit hanc dubitationem: vtrum homo magis diligat mortem, quàm vitam? per illud commune dictum omnium hominum ſic dicentium: Deus auertat à me malam mortem. Et eſt probatio talis: Quare tu vis filium tuum eſſe bonum, & alio meliorem? quia diligis eum pluſquam alium: Et Domum tuam vis eſſe bonam, quia diligis eam. Si ergo rogas, & oras, vt Deus det tibi mortem bonam, & liberet te à mala morte, ergo plus amas tuam mortem, quàm vitam tuam. Mori enim male times, & malè viuere non times. Magis ergo ſecundum Auguſtinum debemus orare, quòd nos Deus liberet à mala vita, quàm à mala morte, quia non poteſt eſſe mors mala, cuius vita bona præceſſit. Nam ſi vis bene mori, bene viuas. Et ſi liberatus fueris à mala vita; infallibiliter liberaberis à mala morte. Sed tunc arguit Auguſtinus contra ſe dupliciter. Primo, quòd multi ſunt viri, qui ſanctè, & iuſtè vixerunt, & ſanctæ mulieres, & tamen male mortui ſunt, quia naufragio perierunt, alij gladio occiſi ſunt, alij à beſtijs deuorati, & à latronibus interfecti. non ergo qui bene viuit, bene morietur. Secundo quia Eccleſia, quæ errare non poteſt, hoc orat, quòd à mala morte liberet nos Deus; non autem, quòd à mala vita. Ad hoc reſpondet Auguſtinus dicens: Si eſſet mors mala, naufragio perire, & percuti gladio, & à beſtijs deuorari, cum iſtas mortes Martyres ſuſtinuerint, ergo male mortui ſunt. Eſt ergo diſtinguendum, quòd eſt mala mors corporis, & mala mors animæ: de mala morte corporis ſcriptum eſt: Prætioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. ſecundũ enim vulgares, & carnales homines ſancti Martyres mala morte perierunt, quia aliqui gladio, aliqui igne combuſti, & beſtijs diſlaniati, & tamen in conſpectu domini mors eorum dicitur prætioſa. Dę mala verò morte animæ ſcriptũ eſt: Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in Inferno. Planum eſt enim, quòd corpus diuitis

Auguſt. de diſciplina Chriſtiana tomo 9. c. 2. I.

Aug. loco ſupra cita- to. K.

Reſponſio eiuſdem

Pſal. 115.

Luc. 16.

diuitis non fuit gladio interemptum, nec in Inferno portatum, sed in sepulchro positum marmoreo. Anima autem eius sepulta est in Inferno ad perpetuam pœnã. Debemus ergo orare secundum Augustinum, vt Deus liberet nos à mala morte animæ, & non præoccupemur aliquo peccato, cum anima exit de corpore: & talis mors animæ mala esse non potest, si bona vita præcessit; sed à mala morte corporis non debemus orare, vt Deus nos liberet. quia, secundum Augustinum ad Victorinum presbyterum, Non attendit Deus quali morte, febre, vel ferro anima exeat de corpore, sed qualis ipsa transeat cum gratia, vel peccato. Nulla ergo cura debet esse homini de morte corporali, qualiter accidat; sed bene de morte animæ. Vnde Greg. narrat in Dialogo de quodam sancto viro nomine Sanctulo, qui cum tempore Longobardorum apud eos habitaret, quendam Clericum, quem illi in captiuitate tenebant, & occidere desiderabant, custodiendum petijt, & nocte eum abire liberũ permisit. qui cum mane venisset, dixerunt, quam mortẽ vellet eligere sibi pro Clerico, cuius fideiussor extiterat, Respondit: Mortem nullam ego eligo nisi illam, qua Dominus me mori permiserit. Finaliter tamen determinatum est, vt capite truncaretur, qui cum Carnificem sentiret supra se brachium in altum leuasse, vt caput abscinderet; hoc solum verbum auditum est eum dixisse: Sancte Ioannes suscipe spatam: quam scilicet ille manu tenebat, & statim brachium eius in aere fixum est, ira, vt illud mouere non posset. Ad quod miraculum stupefacti, ipsum cum omnibus Christianis captiuis ad propria remiserunt, & sic patet solutio.

August. de disciplina Christ. c. 2. to. 9.

August. ad Victor. Presby. to. 2. epist. 122.

Greg. lib. 3 Dial. c. 37. to. 1. De Sanctulo Presbytero Prouinciæ Nursiæ.

A Tyrannorum persecutionibus liberationem petendam esse, affirmandum est.

AD quintam dicendum, quòd Victorinus Presbyter istam quæstionem fecit. Cum enim Prouintia eius multis tribulationibus, & persecutionibus Tyrannorum, & Barbarorum esset oppressa, scripsit Augustino

ſtino ſuper prædictis perſecutionibus, quid eſſet faciendũ, ſibi reſcriberet, maxime, quia multi dicebant, quòd antea quàm Doctrina euangelica per Mundum prædicaretur, genus humanum non tanta mala patiebatur, quanta poſt modum paſſa eſt. Et dato, quod peccatores merito à Barbaris patiantur; Iuſti autem, & ſancti Viri Barbarorum, Tyrannorumq; eſſent gladio interempti: Hoc ipſe ferre non poterat, nec quærentibus reſpondere. Et quod peius erat, Puellæ Virgines Chriſtianæ erant à Barbaris raptæ, & violatæ. Ad quæ omnia reſpondet Auguſtinus in quadam Epiſtola dicens: Litteræ tuæ magnis doloribus impleuerunt cor meum; prædictis tamen tribulationibus, & perſecutionibus, quas patimur à Tyrannis, & Barbaris, non deberent prolixi libri reſpondere, ſed prolixi gemitus, & ploratus: Et ſunt potius omnia plangenda, quàm admiranda, quia nunc quaſi totus mundus tot, & tantis affligitur malis, vt pene nulla pars terrarum ſit, vbi talia, qualia ſcripſiſti, non committantur. Nam Italia tota eſt gladio ſuppoſita; de Hiſpania vero nunc cœperunt aperte nunciare; in ſolitudine vero Aegypti, vbi multa Monaſteria ſeparata à ſtrepitu hominum in pace viuebant, ſubito omnes Fratres à Barbaris interfecti ſunt; ſed & in Regione noſtra Hyponenſi, quam non dum attigerant, Donatiſtæ peiora nobis inferunt, quàm Barbari; Nam in oculis Clericorum noſtrorum acetum cum calce mittunt, & membra eorum horrendis vulneribus fauciant. plures enim Chriſtianos baptizatos rebaptizant, & rebaptizare compellunt: nam pridie in vno loco per terrorem ipſorũ quadraginta & octo animæ rebaptizatæ ſunt. Verum à prædictis tribulationibus orandum eſt, & exclamandum ad Deum, vt non ſecundum peccata noſtra faciat nobis, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos faciat. Illi autem, qui dicunt genus humanum poſt euengelicam doctrinam plurima mala pati; dico, quòd ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Quid ergo mirum, ſi Chriſtiani nunc plene ſcientes voluntatem Domini, & non facientes

Auguſt. ad Victorinũ tomo. 2. epiſt 122.

Quæ verò hîc de epiſtola citantur, ſunt varia in quibuſdã quãtum ad voces: ſed quãtum ad ſenſum, ſunt eadem, licet rerum ordo in epiſt. ſeruatus ab Auguſtine turbetur pro Doctoris intẽtione.

Ad Tit. 3.

Lucæ 12.

cientes diuersis plagis affligantur? Quòd autem dicis, te nó posse portare, vèl respondere, iustos & sanctos viros à Barbaris esse interemptos, & cætera huiusmodi; Veraciter respondeó dicens: Quantumcumque iustitia viuamus, & quã tumcunq; obedientiam Deo vero exhibeamus, meliores esse non possumus illis tribus Viris, qui in caminum ignis proiecti sunt, qui tamẽ cantantes Domino dicebant: Omnia Domine iudicia tua iusta sunt, & non feciſti nobis secũdum peccata nostra, sed secundum tuam misericordiam; & si dicis, illos seruos Dei à Barbaris interemptos sic mortem debuisse euadere, sicut illi tres viri de camino ignis; Respondetur, quòd sic consuluit Deus illis Regibus, vt per illa miracula discerent vnũ Deum colere, & ad vnius Dei notitiam peruenire. Sed non sic consuluit * Anthioco illi iniquo, qui Sanctos illos inter alios septem fratres interfecit iusto suo iudicio. Sed de Puellis Virginibus grauissime dolendum est. Respondetur tamen, quòd non fit eis ad turpitudinis corruptionem, sed ad probationis insinuationem. Vnde S.* Lucia dixit Paschasio Tyranno: Non corrumpetur corpus, nisi de consensu mentis; si me inuitam feceris violari, coronam mihi duplicabis. Et sic concludit Augustinus, quòd semper mala mundi sunt plangenda, & quòd omnia Dei iudicia iusta sunt, & plena misericordiæ, & q̃ pro istis malis remouendis debemus ad Deum recurrere, & orare, vt liberet nos ab eis. *Amen*, ideſt sic fiat fideliter sicut petimus: Et sic finis est nostræ expositionis super oratione Dominica ad Dei gloriam, laudem, & honorem.

Amen.

Dan. 3.

Hoc in 3. cap. Dan. multa desiderantur apud Heb. qui legunt ad proiectionẽ vsq; trium Virorum in caminũ ignis ardentis, sed in editione vulgata leguntur verba superius citata, & aliquo modo varia ab editione, non tamen quantum ad sensum.

*2. Macha. 7.

*In legẽdas. Luciæ cuius historia legitur, & festus dies colitur 13. Decemb.

FINIS.

Digitized by Google